DN.

IOHANNIS BORCHOLTEN

V. I. D. ET IN INCLYta Iulia Ordinarij,

COMMENTARIA IN ILLVSTREM n. TITVLVM

De Iureiurando siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.

Nunc secundò edita, & à multis mendis repurgata, Opera & Studio STATII BORCHOLTEN ROstochiensis I. V. D. & Academiæ Iuliæ professoris publici, filij Auctoris.

Bibl: Rom: Secr: Coll: Soc Jesu

Cum Priuilegio Sacræ Cæsariæ Maiestatis, ad annos quindecim.

HELMAESTADII
Excudebant heredes Iacobi Lucij, Impensis heredum Ludolphi Brandes,
Anno 1598

DE IVREIVRANDO, SIVE VOLVNTARIO, SIVE NECESSARIO, siue iudiciali.

HVic titulo congruit titulus primus libri quarti C. qui de reb. creditis & iureiurando inscribitur, ad exemplum edicti perpetui, in quo coniunctim prætor de rebus creditis & iureiurando edixit, *ut ex Paulo constat in 2. recepta. sentent. tit. 1. de reb. cred. & iureiur.* Ac Iustinianus propter auctoritatem & dignitatem iurisiurandi in C. priùs de iureiurando agit,

postea de rebus creditis, in tit. si certum petetur, aliter atque in ff. vbi prius de rebus creditis tractatur, postea de iureiurando. Capita autem de quibus hic agimus, hæc sunt. Primùm trademus definitionem iurisiurandi huic titulo & proposito nostro congruentem. Deinde dicemus quotuplex sit iusiurandum. Tertiò qui deferre possint iusiurandum. Quartò, quibus iusiurandũ deferri possit. Quintò, super quibus rebus & in quibus actionibus liceat iusiurandum deferre. Sextò, agemus de reuocatione & remissione

ſione delati iuriſiurandi. Septimò videbimus, quid faciendum ſit illi, cui iuſiurandum delatum eſt. Octauò dicemus de vi & effectu iuriſiurandi. Poſtremò inquiremus, vtrum à cauſa iureiurando deciſa, appellare liceat. Deus faxit, vt de iureiurando, re ſacra, dicere poſſimus, quæ ad Reipublicæ vtilitatem faciant.

CAPVT PRIMVM DEfinitionem iuramenti eiusq; explicationem continens.

13. De-

28. *Sufficit tacita obtestatio diuina in iureiurando, non solum in eo, qui loqui non potest, sed etiam in eo, qui loqui potest, si modo is, qui detulit iusiurandum, tacita obtestatione contentus sit.*

29. *Conciliatur cum definitione iurisiurandi. l.31. ff. de iureiu.*

30. *Conciliatur l.fin.C.de reb. cred.cũ iurisiurandi definitione.*

31. *Aliud argumentum contra definitionem iurisiurandi, ibiq; latius explicatur l. fin. C.de reb. cred.*

32. *Conciliatur cum definitione l. 13. §. si quis iurauerit, cum §. seqq. de iureiur.*

ANtequam ad definitionem iurisiurandi accedimus, paucis inquiremus, vtrum iurare liceat. Id enim ab instituto nostro minimè alienum
1. est. Et quidem dicendum videtur, hominem Christianum iurare non debere, propterea, quod filius Dei iubet, ne omninò iuremus. *Matth.5.* Et Diuus Iacobus *cap. 5.* præcipit, ne iuremus, neq; per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Isocrates quoque Ethnicus in oratione ad Dæmonicum

nicum, pecuniarum causa iusiurandum non permittit. Et diuinus Plato, quem Cicero in 2. de ll. omnium Philosophorum principem appellat, in 12. de ll. in totum litigantium iuramenta tollit. Ac quamuis sacratissimus Imperator Leo existimauerit, filij Dei iussum ad perfectiores pertinere, & non simpliciter ad moderanda communis vitæ negocia, sed ad constituendum illis qui ad beatam illam sublimitatem ascendere desiderant, in perfectiorem rempublicam gradum esse promulgatum. *Nouel. 97.* tamen distinctio Imperatoris Leonis, ratione carere videtur, cum nusquam traditum sit, perfectiores iurare non debere, minus perfectos iurare posse. Et sacræ literæ in- 2.
distinctæ omnibus iurare permittunt: *Deuteronomij 6.* Per nomen Dei tui iurabis. Et rursus, *Deutero. 10.* In nomine illius iurabis. Et *Exod. 22.* iuramentum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietque dominus iuramentum. Et *in Leuitico cap. 19.* Deus præcipit, ne peieremus in nomine ipsius. Domino ergò iuramenta reddi possunt, vt filius Dei explicat *in Matthæo d. c. 5.* Et omnis controuersiæ finis debet esse iura-

mentum, *secundum D. Paulum ad Hebreos cap. 6.* Sic Paulus *ad Romanos c. 1.* iurat, Testis est inquit mihi Deus, & *in 2. episto. ad Corinth. cap. 1.* similiter iurat, his ver-
3. bis: testem Deum inuoco. Isocrates etiam ad Demonicum, non tollit iusiurandum, sed potius iubet, vt iuramenta præstentur. Sic enim inquit: *ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου· διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλοις ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων,* hoc est, iuramentum delatum tibi, duabus de causis suscipe, vel vt teipsum turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias.
4. Non obstant quæ ex Matthæo & Iacobo in contrarium allata fuerunt. Nec enim illis locis iuramenta tolluntur, sed futilitas & leuitas qua multi in iurando vtuntur taxatur, quam leuitatem etiam Isocrates reprehendere voluit, vt locus ipse apud Isocratem satis ostendit. Et Platonis auctoritati diuinam auctoritatem non immeritò anteponimus. Christiano igitur homini denegatum non est iurare, *Couar. in c. quamuis in 1. parte relectio. §. sexto, num. 1. de pact. in 6.* Hoc posito, descendemus ad inquisitionem definitionis iurisiuran-

iurandi. Definitio verò iurisiurandi, non potest rectè constitui, nisi prius intelligatur, de quo genere iurisiurandi *sub hoc tit. nost.* agatur. Varia sunt genera iurisiurandi. Est iusiurandum, quod à lege imponitur, quod idcircò malè legitimum iusiurandum dixerimus. Et hoc iusiurandũ rursus multiplex est. Lege siquidé iudicibus mandatur vt iurent, omnimodo sese cum veritate & legum obseruatione iudicaturos. *l. rem non nouam, C. de iudic.* Patroni quoq; causarũ, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitã & posteros defendunt. *l. aduocati, C. de aduocat. diuerso. iudicio.* ex legum præscripto iurãt, se omni virtute sua, omniq; ope, quod verum & iustum existimauerint, clientibus suis consulturos *d. l. rem non nouam, §. patroni, C. de iudic.* Et litigatores iurant, nihil se iudicib. alijsùe personis patrocinij causa dedisse, cauisse, præterquam honoraria aduocatis & sportulas executoribus *Nouel 124.* Testi etiam à lege iuramentum imponitur. Sic enim ab Imperatoribus est rescriptum: iurisiurandi religione testes priusquam perhibeant testimonium, iamdudum arctari præcipimus, *l. iurisiurandi, C. de testib.* Lege item iuben-

bente, vtraq; pars & actor & reus iurat, se non calumniandi animo litem contestari. *l.2.C.de iureiur.propter calum.dando.* Et *ex Nouella 50.* partes iurant, se differendi negocij causa probationes ab aduersario non petituras. Ex *l. penult. C.de fide instrum.* collatores literarum, quorum interuentu literarum collatio fit, iurant, se non sordidè, nec inimicè, nec gratiosè quicquam in ea re acturos, sed bona fide collaturos literas, & collationem fideliter iudici relaturos. Sic qui thesaurum suum in alieno loco effodere vult, iurat se non calumniæ causa id postulare. *l.thesaurus, ad exhibendum.* Idem iuramentum præstat, qui postulat copiam sibi fieri inspiciendarum & describendarum tabularum testamenti, *l. penult.C. quemadmo.testam. aperian.* Vel qui probationes veluti testes & instrumenta petit, vel quæstionem seruorum exposcit *l. 1. C. de iureiur. propter calum. dando. l. vlt. C. de quæstio.* Aut comparationem literarum fieri desiderat. *Nouel.73.* Vel satisdandi causa in municipium euocat, *l.de die, §.iubetur, qui satisdare cogantur.* Vel nouũ opus nuntiat. *l. de pupillo. §. qui opus, de noui oper. nuntiat.* Aut instrumentum exhiberi petit, quod fal-

sum

ſum dicat etſi fides eius approbata iam ſemel iudici fuerit, *l. vlt. C. de fide inſtrum.* Vel edi ſibi rationes argentariæ poſtulat. *l.6 §. exigitur, l. quadam, §. vlt. de edendo.* Vel de damno infecto ſibi caueri deſiderat. *l. qui bona, de damno infecto.* Hoc amplius iuſiurandum legitimum eſt, quod tutor vel curator præſtat, qui tutelam vel curam recuſat ob id, quod pupillum vel minorem obligatum ſibi dicit. *Nouel. 72.* Item quod tutor vel curator ad adminiſtrationem tutelæ vel curæ accedens, præſtat. *d. Nouel. 72.* Illud item, quod à curatore furioſi præſtatur. *l. de creationibus. C. de Epiſco. audien.* Et quando tribunus militum iurat ſacroſanctis Euangelijs propoſitis, maritum mulieris mortuum eſſe. *Nouel. 117.* Item quando viri illuſtres iurant iudicio ſiſti ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter conueniantur *l. quoties, C. de dignit. lib. 12.* Eſt quoque iuſiurandum legitimum, quod creditor præſtare compellitur, quod nulla machinatione vel circumſcriptione vſus, tanti rē vendiderit, quanti potuerit venire, *l. fin. C. de iure dom. impetran.* Similiter iuſiurandum legitimum eſt, quod præſtat is, apud quem res Eccleſiæ adſeruntur abſconditæ, *l.*

pre-

præsenti, C. de his qui ad Eccles. confuge. Vel etiam is, qui per interpositam personam maiores vsuras stipulatus videtur, quàm per seipsum stipulari potuisset, *l. eos, in fine, C. de vsuris.* Item quod præstatur ab alijs qui officia suscipiunt, *de qu. in Nouel. constit 9.* Item quod milites præstant *l. 2. de priuileg. veter. l. miles, de adulte. l. miles, §. missionum, & l. vlt. de re milita. l. 2. §. miles, de his qui notant. infam.* quod primum militiæ vinculum Seneca *lib. 15. epistola.* appellat. Et quod præstant qui pro libertate periclitantur, & fideiussorem dare non possunt. *l. 1 C. de assertio. tollen.* Sic iusiurandum legitimum est, quod præstat, qui postquam semel vel iterum vel tertio testes produxit, & testium productioni renunciauit, admitti se ad aliam probationem postulat. *Nouel. 90.* Est quoque iusiurandum legitimum, quod ij, qui officijs quibuscunq; funguntur, præstant, se de terris suæ iurisdictioni subiectis, hæreticos, exterminaturos, *. in die, de statut. & consuetud. contra libertatem Ecclesiæ edit. in vsib. feudo.* Deniq; iusiurandum legitimum quod vasallus domino suo præstat,
6. *c. vni. de noua forma fidelitatis.* Præter iusiurandum legitimum, est aliud iusiurandū,
quod

quod à iudice defertur æſtimandæ litis cauſa, *de quo agitur in tit. de in litem iurando in ff. & C.* Eſt & aliud iuſiurandum, quo pactiones itemque contractus conſtringuntur & confirmantur, *l. ſi quis maior, C. de tranſactio. c. hac edictali, de pace tenen. inter ſubditos in vſibus feudorum, & inde deſumpta eſt authentica ſacramenta, C. ſi aduerſus venditio.* Eſt quoq; iuſiurandum, quo quis heredem ſuum obteſtatur, vt det vel faciat aliquid hoc modo, per Deum rogo, te vt des Titio centum, *de quo in l. cum pater, §. filius, de leg. 2. l. 2. C. commu. de legat. l. 3. de iure fiſci. § 1. Inſtit. de fideicom. hered.* Similiter aliud eſt iuſiurandũ, quod moriens præſtat ſuper deſcriptione bonorum ſuorum teſtamento vel alia ſcriptura facta. *Nouel. 48.* Eſt & iuſiurandum quod teſtamento imponitur, vt cũ aliquid ſub conditione iuriſiurandi relinquitur. *de quo in l. 8 de condit. inſtitut.* Denique eſt iuſiurandum 7.
quod lites finit. Et de hoc poſtremo genere iuriſiurandi, hic titulus noſter duntaxat eſt. Conſtat id *ex l. 1. h. tit. noſt.* Ea lex eſt Caij Iuriſconſulti, & inquit Caius, maximum remedium expediendarum litiũ in vſum venit, iuriſiurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex

aucto-

auctoritate iudicis controuersiæ deciduntur. Nota quod Caius iuramentum appellat maximum, hoc est, celerrimum & expeditissimum remedium expediendarum litium. Hic igitur titulus de iureiurando est, quod litibus finem imponit, quod à sacratissimo quoque Imperatore Iustiniano significatur, *in l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* Ibi in princ. istius legis, Iustinianus inquit: Generaliter de omnibus iuramentis, quæ in litibus offeruntur, vel à iudice, vel à partibus definiendum est. Nota hæc verba, in litibus offeruntur. Iis verbis Imperator innuit, totum illum titulum, *cui in ff. consonat hic titulus noster,* esse de iureiurando quod lites expedit siue finit, quod ipsum etiam Imperator significat, *in d. l. generaliter, §. omne igitur,* his verbis: Omne iuramentum siue à iudicibus siue à partibus illatum, vel in principio litis vel in medio, vel in ipsa definitiua sententia, sub ipso iudice detur, hoc est, præstetur. Quinimò ipsum prætoris edictum de iureiurando conceptum, satis ostendit hunc titulum esse de iureiurando, quod litibus finem adfert. Ita enim Prætor edixit. Eum à quo iusiurandum petetur, solue-

ſoluere aut iurare cogam. *l.iuſiurandum & ad pecunias, §.ait. prætor, de iureiur.* Intelligimus ad quod genus iuriſiurandi hic titulus pertineat. Nunc facillimum eſt iuramenti, de quo hîc agimus, definitionem conſtituere. Sed de nomine iuriſiurandi prius quædam monenda ſunt. Iu- 8.
ramentum aliàs iuſiurandum appellatur, *& ita dicitur in inſcriptione huius tituli, de iureiurando ſiue voluntario, &c. & in C. de reb. cred. & iureiurando, & alibi ſæpiſſimè.* Dicitur iuramentum iuſiurandum, quaſi ius ſacratum *vt à Iacobo Cuiacio traditum eſt, in paratitlis ad tit. C. de reb. cred. & iureiurando.* Sic Virgilius *lib. 2. AEneidos,* Iuſiurandum, ſacratum ius appellat. Poſtquam enim ibi expoſuit formulam iuriſiurandi his verbis:

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum,
Teſtor numen, ait, vos aræ, enſesq́, nefandi,
Quos fugi, vittaq́, Deum, quas hoſtia geſſi.
Mox ſubijcit:
Fas mihi Graiorum ſacrata reſoluere iura.

Eadem prorſus ratione, iuramentum di- 9.
citur ſacramentum, *in l. ſi quis iuſiurandum, l. generaliter, & l. fin. C. de reb. cred. & iureiur. l. 1. & 2. C. de iureiur. propter calum. dando. l. rem non nouam, C. de iudic. l. fin. C. de fideicom.*

B com.

com l.8.C.de legat.l. 2.de priuileg. vetera. l.2. §. miles, de his qui notantur infamia, l.fin.§. licentia. C.de iure deliberan.l.fin.C. de fide instrumentor. A ſacro, ſecundum Varronem *lib. 4.de lingua latin.* & Sext. Feſtum Pompe. *lib.17.*

10. Appellatur quoq; iuſiurandum, religio, *in l. multo magis, h. t. n.* Ibi Paulus ICtus inquit: Religio filij prodeſt patri, hoc eſt, iuſiurandum à filio præſtitum, patri prodeſt. Sic Vlpianus inquit, ſi ſeruus iurauit domino dari oportere, domino danda eſt actio propter religionem, hoc eſt, propter iuſiurandum ſerui, *l. ſed etſi ſeruus, h.t.n.* Idem Vlpianus *in l.4.§.deferre, de in litem iurando.* docet. Iuſiurandum in litem à iudice deferri debere, aliàs nullam eſſe religionem, hoc eſt, nullum eſſe iuſiurandum, vt Vlpianus ibi quoq; explicat. Sic ICtus *in l.8.de conditio. inſtit.* inquit, aſtringere aliquem conditione religionis, hoc eſt, iuriſiurandi. Et Iuſtinianus ad religionem conuolare dixit, pro conuolare ad ſacramentum ſiue iuſiurandum. *l.ſi quis iuſiurandum, C.de reb.cred.& iureiur.* Idem Imperator Iuſtinianus, *in l. fin.C.eod. tit.* iuſiurandum religionem vocat. Ita enim inquit: Si heres ſacramentũ detulerit legatario, & is religio-

gionẽ ſuam præſtiterit,hoc eſt,iuſiurandũ præſtiterit.Et *in l.fin.C.de fideicom* Iuſtinianus inquit,ipſe ſibi iudex & teſtis eſt,cuius religio electa eſt,h.e.is cui iuſiurandũ delatum eſt,& iudex eſt, & teſtis in propria cauſa,Gellius,ſe religione,h.e.iureiurando ſolutos eſſe ac liberatos dicebãt *lib.7.c.18.*Nonnunquã iuſiurandum & religio coniunguntur. Sic Caius *in l.1. h.t.n.* iuriſiurandi religionem maximum remedium expediendarum litium vocat.Et Alexander reſcripſit,iuriſiurandi contemptam religionẽ Deum vltorem habere. *l.2.C.de reb.cred.& iureiur.*Et Papinianus inquit, cũ iuriſiurandi religione fideicommiſſa præſtare.*l.cum pater,§.filius, de leg.2.* Et Diocletianus & Maximianus Imperatores iuriſiurandi religione, generis & ingenuitatis quæſtionẽ decidi volunt, *in l.cum proponas, C.de reb.cred.* Et Conſtantinus Imperator reſcripſit,iuriſiurandi religione teſtes debere arctari *l.iuriſiurandi, C.de teſtib.*Et iudex iuriſiurandi religionẽ ſequitur. *l.3.C. de in litem iuran.* Et Iuſtinianus conſpirationem iuriſiurandi religione compoſitã prohibet. *l.vlt. C.de iureiur. propter calum. dando.* Sic Gellius de Spurio Carbilio loquens, Iuriſiurandi

inquit, religionem, animo atque amori præuertit *lib. 4. cap. 3.* Nonnunquam sacramentum & religio coniunguntur, *vt in l. fin. C. de fideicom* dicitur, per sacramenti religionem veritatem dicere compellitur, & *in l. 3. C. si minor se maiorem, &c.* dicitur, si minor, per sacramenti religio-
11. nem se maiorem asseuerauit. Dicitur iusiurandum religio à religandis mentibus secundum Iulium Frontinum. Cum enim iusiurandum sit ius sacrum siue sacratum, & iurantes Deum in testem & iudicem vocent, iusiurandum mentem iurantis ligat & religat, hoc est, fortiter ligat. Re, auget mentis ligamen vt de deposito dicitur, *in l. 1. depositi.* Hinc iusiurandum timorem & metum iurantibus inijcere dicitur, *in l. 8. de condit. instit. & in l. 1. C. de iureiur. propter calum. dando.* In d. l. 8. ICtus inquit, multos esse perquam timidos ad iurandum metu diuini numinis vsque ad superstitionem, quam subtilem reuerentiam Iustinianus appellat, *in l. fin. C. de fide instrum. & in d. l. 1. C. de iureiur. propter calum. dando.* Iustinianus ait, sacramenti timore contentiosam litigantium instantiam compesci. Deniq; iusiurandum dicitur quandoque deiurium, *Gel-*

lius

lius lib. 7 cap. 18. deiuriò vincti forent. Sed 12.
iam quid iuramentum sit videamus. Iuramentum est certa litis definitio, quæ fit cùm obtestatione diuina. Ita Clemens Alexandrinus iuramentum definit *in 7. Stromat.* Verba Clementis Alexandrini hæc sunt. Iuramentum est *ὁμολογία καθοριστικὴ, μετὰ προσπαραλήψεως θείας; ὁμολογίαν καθοριστικὴν,* cum Iacobo Cuiacio *in Nouel. constit. 90.* certam definitionem rei scilicet siue litis interpretor. Hæc verba *μετὰ προσπαραλήψεως θείας* sumpsit Clemens Alexandrinus ex Aristotelis Rhetorica ad Alexandrum. Nam ibi Aristoteles iuramentum definit *φάσιν ἀναπόδεικτον μετὰ θείας παραλήψεως*, hoc est, dictionem siue sententiam expertem probationis, quæ fit cum obtestatione diuina. Congruit autem Clementis Alexandrini definitio propriè huic titulo nostro, siquidem sub hoc titulo, de iureiurando duntaxat agitur, quod lites finit, vt supra dictum est. Aristotelis definitio 13.
aliquanto latior est, nec huic solùm titulo sed alijs quoque iuramentorum generibus conuenit. Vt si moriens præstet iuramentum super descriptione bonorum

suorum, iuramentum huiusmodi est, φάσις ἀναπόδεικτος μετὰ θείας παραλήψεως.
14. Multo adhuc latior est definitio iurisiurandi à Cicerone *lib. 3. officio.* tradita, his verbis: Iusiurandum est affirmatio sancta. Ea definitio ad omnia iuramentorum genera, de quibus supra diximus, aptari potest. Vt cum iudex se iustè iudicaturum, actor se temerè litem non moturum, aut dilationes iniustas non petiturum iurat, iuramentum huiusmodi est affirmatio sancta, & vt summatim dicam, nullum est iusiurandum, quod non sit af-
15. firmatio sancta. Nos igitur duabus posterioribus definitionibus omissis, primam retinebimus. Dicitur iuramentum certa litis definitio, hoc est, decisio, quia iuramentum omninò litis definitionem siue decisionem adfert. *l. 1. l. 5. l. 6. C. de reb. cred. & iureiur. l. post rem iudic. de re iud.* & interposito iuramento, ab omni controuersia disceditur. *l. iusiurandum à debitore, h. t. n.* Hinc iuramentum appellatur remedium maximum expediendarum litium *l. 1. h. t. n.* Et πλευταία κατὰ φυγὴ, h. e. extremũ sub-
16. sidium litium finiendarũ. *Nouel. 73.* Et sicuti res iudicata certa est litis decisio, & post rem iudicatã nihil aliud quæritur, quàm
an

an iudicatum sit, *l. post rem iudicatam, de re iudic.* quia res iudicata, pro veritate habetur, *l. ingenuum, de statu homi. l. res iudicata, de reg. iur.* & verum in falsum, & contra falsum in verum mutat. *Bald. in c. in presentia, extra, de renunciatio.* & de nigro album, & de albo nigrum facit. *Bald. in c. nosti. de electio.* Ita iusiurandum certa est litis decisio, & post iusiurandum non aliud quæritur, quàm an iuratum sit, remissa quæstione an debeatur. *l. non erit ratum, §. dato, l. nam posteaquam, §. 1. ibi, in qua hoc solùm quæritur, an iurauerit sibi dari oportere, h. t. n.* Et qui iurauit, id consequi debet, quod haberet si secundum se pronunciatum esset, *l. sed et si possessori, §. si cum de heredita. h. t.* quia iusiurandum pro veritate habetur & vicem rei iudicatæ obtinet. *l. 1. in princ. quarum rerum actio non datur. d. l. post rem iudicatam, de re iudic.* Imò maiorem habet auctoritatem 17.
quàm res iudicata. *l. 2. hoc titulo nostro.* Si ergò petam à te centum, & tu neges mihi centum à te deberi, egoque iusiurandum tibi deferam vt iures, te mihi centum non debere, iusiurandum certam litis definitionem siue decisionem adfert. Nam posteaquam iurasti,

te mihi centum non debere, denegatur mihi in te actio, *l. ait prætor, cum duab. ll. sequent. h. t. n.* Sic si iusiurandum tibi delatum, mihi referas, egoque iurem te mihi centum debere, iuramentum est certa litis definitio siue decisio. Iuranti enim mihi omninò soluere teneris non secus ac si probassem te mihi centum debere. *d. l. non erit ratum, §. dato,* ibi quasi satis probatum sit, *d. l. sed etsi possessori, §. si cum, de hereditate, ibi perindeq; haberi, quod iuratum est ac si probatum esset, hoc titulo nostro.* Sic si Stichum à te petam, & tu delato tibi iureiurando iures, te Stichum mihi non debere, liberaris. Aut si ego iurem delato mihi aut relato iureiurando, te Stichum mihi debere, soluere omninò co-
18. geris. Rectè igitur iusiurandum definitur, certa litis definitio. Quod si iusiurandum delatum certam litis definitionem siue decisionem adferre nón possit, reus iusiurandũ delatũ neq; suscipere neq; referre compellitur. *l. iusiurandum & ad pecunias, §. 1. h. t. n.* Ibi Stichus fuit petitus, & reus dixit, se liberatum esse, quoniam Stichũ, quem promiserat, putat decessisse. Hoc casu, reo delato iureiurando, vt iuret se putare Stichum promissum decessisse,

reus iurare non cogitur. Similiter non compellitur reus in proposito casu iusiurandum referre, quamuis aliàs reo necessitas incumbat vel iurandi vel iusiurandum referendi, *l. manifestò, h. t. n.* Ratio est, quia iusiurandum est certa litis definitio siue decisio. At quando reus iurat, se putare Stichum quem promisit, decessisse, iuramentum litem non finit, quia reus non iurat, se Stichum non debere, sed iurat duntaxat, se putare Stichum, quem debeat, mortuum esse. Sticho ergò non mortuo, petitio Stichi superest, & propterea cum iuramentum hoc modo delatum, vt reus iuret se putare, Stichum, quem promisit, decessisse, litem non finiat, reus ita iurare non cogitur, nec etiam iusiurandum referre, *d. l. iusiurandum, & ad pecunias, §. 1. h. t. n.* Sic reus 19.
iurare non cogitur nec iusiurandum referre, si procurator qui vniuersorum bonorum administrationem non sustinet, nec in rem suam procurator est, nec speciale mandatum habet, iusiurandum detulerit. *l. aliàs autem, hoc tit. nostro.* Nam iusiurandum ab huiusmodi procuratore delatum, certam litis definitionem non adfert, cum reus, etsi iurasset, à domino ite-

iterum conueniri posset, quamuis ei de rato fuerit cautum, hoc est, quamuis procurator promiserit, dominum delationem & præstationem iuramenti ratam habiturum. Siue enim inquit ICtus, dominus petat, cogetur docere reus, liquido se iurasse, siue ex stipulatione de rato agat, necesse habebit ipse de periurio suo docere. *d. l. alias autem, hoc titulo nostro.* Hæc verba sunt obscura, ideoq; breuiter sunt explicanda. Hoc autem vult Vlpianus ICtus dicere: Reo qui ad delationem procuratoris iurauit, nihil iusiurandum proficere, quia conuentus à domino, cogitur docere, liquido se iurasse, hoc est, se iurasse de re, de qua liquebat

20. sibi. Liquido iurare, est verè iurare. *Duarenus in 1. anniuers. disputat. cap. 2.* Aut aperta ac manifesta veritate iurare. *Barnabas Brissonius lib. 10. de verbo. sign. in verbis liquido iurare. Ouid. lib. 3. de Ponto. elegia 3.*

Scis tamen & liquido iuratus dicere posses,
Non me legitimos sollicitasse toros.

Seneca lib. 7. de benefic. cap. 9. Video sericas vestes, si vestes vocanda sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumptis mulier parùm liquido nu-

do nudam se non esse iurabit. Ad eundem modum Iurisconsulti dicunt liquidò probare *in l. fin. §. si autem liquido, hoc titulo nostro,* & liquido apparere *in l. 1. §. in summa, quarum rerum actio non detur. Paulus 2. sententia. tit. 1.* Gellius, liquido non scimus quid pleraque vocabula propriè ac verè significent *lib. 16. cap. 5.* Et si reus docuerit, se liquido iurasse prodest ipsi exceptio iurisiurandi. Si non docuerit, se liquido iurasse, nihil ipsi exceptio prodest, & si agat aduersus procuratorem ex stipulatione de rato, necesse habebit de periurio suo docere. Ideo docebit reus de periurio suo, quia cum non docuerit se liquido iurasse, & tamen agat ex stipulatione de rato, ostendit siue docet, se periuriū commisisse, se iurasse super re, de qua non liquebat, de qua non constabat sibi, de qua certioratus non fuit. Ex eo quod quis iurauit super re de qua non liquet, de qua non constat sibi, de qua certioratus non est, periurium docetur atq; arguitur. Iureiurando siquidem quis affirmat rem ita se habere, vt iuratum est; Eius contrarium re ipsa ostenditur, quando reus non docet, se iurasse super re, de qua liquebat sibi. Iuramentum igitur, vt ad

vt ad definitionem nostram redeamus, certa est litis decisio, & certam litis decisionem siue definitionem adferre debet, & si ex iureiurando non sit secutura certa litis decisio, iusiurandum delatum neque suscipere, neque referre quis cogitur. Additur in definitione, quæ fit cum
21. obtestatione diuina. Hæc verba necessariò adijciuntur, propterea, quod non omnis litis definitio siue decisio ex iuramento dependet. Transactio etiam est litis definitio siue decisio. Sic enim Imperatores rescripserunt, causas vel lites transactionibus legitimis finitas, Imperiali rescripto, resuscitari non oportere *l. causas vel lites, l. transactione finita, l. si. pro fundo, ibi litem decisam. l. sub prætextu, ibi decisionem litis, C. de transactio.* Similiter res iudicata est certa litis definitio, vt suprà dictum est. Confessio quoque in iure facta, certam litis definitionem siue decisionem adfert, & propterea hæc tria: Res iudicata, iusiurandum, & confessio in iure facta, comparantur. *in l. post rem iudicatam, de re iudic.* Vt igitur à definitione iurisiurandi transactio, res iudicata & confessio in iure facta, remoueantur, rectissimè ad definitionem adijciuntur hæc verba,
quæ

quæ fit cum obtestatione diuina. Transactio est certa litis definitio, sed non fit cum obtestatione diuina. Confirmatur quidem transactio aliquando obtestatione diuina, *l. si quis maior, C. de transactio.* Sed obtestatio illa diuina, non est litis decisio. Litis decisionem attulit consensus transigentium, & vt decisio illa litis, consensu transigentium facta, firmior sit, iuramentum postea accedit. Sic res iudicata, certa est litis definitio, sed non fit cum obtestatione diuina. Confessio quoque in iure facta, certa est litis definitio, sed similiter non fit cum obtestatione diuina. At iuramentum certa litis definitio est, quæ fit cum obtestatione diuina. Huic definitioni quædam obstare videntur, quæ breuiter nunc diluemus. Diximus sub hoc titulo tantùm agi de iuramento quod lites finit, idq́; postea definiuimus certam litis definitionem. Sed hæc 22.
sententia, adeoq; iurisiurandi definitio impugnari potest huiusmodi argumento. Lis dicitur, cum est in iudicium ventum, extra iudicium non est lis, sed controuersia. *l. liberto, § litem, de nego. gest. l. 3. §. si per venditorem, de actio. empti, sicuti in tit. de transactio. c. 3. latius exposui.* At sub hoc titulo

tulo de iureiurando, non agitur duntaxat de iureiurando, quod in iudicio defertur, verùm etiam de iureiurando, quod defertur extra iudicium. *Intelligitur id ex l. iusiurandum, quod ex conuentione, hoc titulo nostro, in qua ICtus docet, quod iusiurandum quod ex conuentione extra iudicium defertur, referri non possit. Intelligitur id quoque ex l. in duob. §. fin. hoc tit. Ibi ICtus docet, si reus extra iudicium actore deferente iurauerit, se dare non oportere, & actor reo deferente iurauerit dari sibi oportere, posteriorem causam iurisiurandi potiorem haberi.* Inde igitur videtur dicendum, malè suprà traditum esse, hunc titulum tantùm esse de iureiurando, quòd lites finit, malę item iusiurandum esse definitum, quod certa sit litis
23. definitio. Ad hoc argumentũ ita respondendum est: Litis nomen accipitur & generaliter, & specialiter. Generaliter lis dicitur res, de qua est controuersia in iudicio, vel etiam extra iudicium. *Varro lib. 4. de ling. lat.* Specialiter verò lis nominatur res, de qua in iudicio controuertitur. Et nos litis nomen generaliter accipimus pro re, de qua in iudicio vel extra
24. iudicium contenditur. Sed contra definitionem iurisiurandi rursus ita instatur:
iusiu-

iusiurandum non est litis decisio, sed po-
tius obtestatio, per quam Deus in testem
& iudicem vocatur, qua obtestatione
mediante, lis finitur. Igitur iusiurandum
non rectè definitur litis decisio. Respon-
deo ad hunc modum: Verum est, quod
iusiurandum est obtestatio diuina, qua li-
tis decisio inducitur. Sed non propterea
minus rectè iusiurandum definitur certa
litis definitio, effectu posito pro causa,
quod ICtis inusitatum non est. Sic con-
tractus definitur, obligatio, *in l. Labeo, de
verbo. signif.* cum tamen contractus non sit
obligatio, sed potius *συνοδὸς καὶ συναίνεσις*
vt Theophilus definit. in Instit. de oblig.
hoc est, consensus & conuentio, ex quo
consensu, quauè conuentione, obligatio
oritur. Ad eundem modum iusiurandum
dicitur esse certa litis definitio, cū tamen
potius sit obtestatio diuina, ex qua litis
decisio descendit. Sed iterum dicet ali- 25.
quis in definitione iurisiurandi non rectè
fieri obtestationis diuinæ mentionem, cū
hoc iure non tantùm per Deum iuremus,
sed etiam per principem aut genium
principis *l. si duo patroni, §. fin. hoc tit. nost. l. 2.
C. de reb. cred. & iureiur.* Et Vegetius *lib. 2.
cap. 5.* ostendit, sub Christianis etiam
Impe-

Imperatoribus vsitatum fuisse, vt milites iurarent per Deum, Christum & Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se facturos, quæ præciperet Imperator nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Republica Romana. Sic iure ciuili rectè iuramus per salutem nostram, vel caput nostrum vel filiorum nostrorum *l.3. §.fin.cum duab. ll.sequent.l.qui per salutem, h.t.n.* Ad
26. hanc obiectionem ita respondebimus. Quamuis Clemens Alexandrinus in sua iurisiurandi definitione obtestationis diuinæ mentionem facit: non tamen propterea reijcit alios modos licitos iurandi. Licitus modus iurandi est, cum per Deum iuramus, vel per salutẽ principis, vel per nostram salutem. Et sic patres sanctos, legimus, non solum per Deum, sed etiam alijs multis modis iurasse. Iacob iurat per timorem patris sui Isaac, *Genes.31.* Ioseph per salutem Pharaonis, *Genes. 42.* Moises per cœlum & terram, Deuteronomij *4. 30. & 31.* Dauid per animam Ionatæ *1. Regum, cap. 20.* Vrias per salutem Dauid & per salutem animæ ipsius *2. Reg. cap. 11.* Et mulier quædam per salutem animæ Dauid, *2. Reg.cap. 14.* Ethai Ge-

Gethæus per Dominum & Regem *2. Regum, cap.15.* Elisæus Propheta per Dominum & animam Eliæ, *4. Reg. cap. 2.* Sic principes iurant per fidem & dignitatem principalem, *cap. ad aures, & ibi Panormitan. nu.4. & 5. quod metus causa. Bald. in c. litteras, in fin. de præsumptio. Cravet. cons. 241. nu. 11. Ioachimus à Beust in l.3.§. iurari, nu. 14. de iureiur.* idq; de consuetudine in Germania seruatur. *Mynsing. obseruatio. 17. centu. 1. ubi tradit, hac de re in Camera Imperiali grauiter aliquando disputatum, & tandem conclusum fuisse, quod verba*, bey Fürstlichen Ehren vnd Würden/ *habeantur pro iuramento. Decian. respons. 2. nu. 113. in 1. volum.* quamuis contrarium, maximè quod ad effectus iuramenti attinet, sentit Couarru. *in c. quãuis in 1. parte relectio. §. 2. nu. 2. de pact. in 6.* Hos omnes & similes modos iurandi, Clemens Alexandrinus non improbat, sed potius subintelligi vult, cum obtestationem diuinam nominat. Ac præcipuo modo iurandi qui fit per obtestationem diuinam, expresso, reliqui modi subintelliguntur. At contra definitionem iu- 27.
risiurandi adhuc instatur, Clemens Alexandrinus, cum obtestationis diuinæ, in sua iurisiurandi definitione meminit, ver-

ba ad iurandum videtur exigere: Sed verba in iuramentis necessaria non sunt: quia, & hi, qui loqui non possunt, iurare possunt. *Alexan. in l. 1. de verbo. oblig.* eaque est communis Dd. opinio, *vt Iohan. Crotus testatur, in d. l. 1. de verbor. obligat. Alciatus in parergis c. 2. & in rubr. de iureiur. nu. 21.* Igitur frustra adhuc videtur mentio fieri obtestationis diuinæ. Resp. Quando Clemens Alexandrinus dicit, Iuramentum fieri cum obtestatione diuina, nequaquã hoc vult dicere, quod iurantes semper verbis vti debeant, sed hæc est eius sententia: Qui iurat, iurat per Deum, vel alio modo licito, ac parùm refert, siue verbis id fiat, siue nutu, & signis. Et ideò si deferam alicui iuramentum, vt iuret per Deum, se mihi centũ non debere, isq; nutu & signis testetur se iurare, ac ego testatione illa per nutum ac signa facta sim cõtentus, iuramentum certam litis definitionem adfert, eaq; litis definitio facta est cum obtestatione diuina. Per obtestationem ergo diuinam, vel expressam vel tacitam obtestationẽ, Clemens Alexandrinus
23. intelligit. Et sufficit tacita obtestatio diuina in his, qui loqui non possunt, vt communis Dd. sententia habet. Vel etiã in his, qui

qui loqui possunt, vt Panormitano visum est, *in rubr. de iureiur.* & voluit Cynus *in authen. sacramenta puberum, C. si aduersus venditio.* & probauit Couar. *in c. quamuis, de pact. in 6. in relectio. 1. part. § 1. num. 4.* & huic sententiæ ego quoq; subscribo, si modo is, qui iusiurandum detulit ei, qui loqui potest, contentus sit tacita obtestatione diuina. Aliàs secus esse puto, propterea quod ICti sub hoc tit. nost. de iureiur. volunt, ita iurari debere, vt delatum est iusiurandum, aliàs ratum iusiurandum non esse, *l. 3. § fin. cum 2. ll. seqq. l. qui per salutem, hoc titulo nostro.* At constare non potest, vtrum quis eo modo iurauerit, quo ipsi delatum est iusiurandum, nisi id verbis exprimatur. Quare dicendum est, verba ad iuramenti præstationem omninò necessaria esse, si is qui iusiurandum detulit ei, qui loqui potest, velit, vt conceptis verbis iuret. Nec aduersatur quod iusiurandum Deo præstatur, qui καρδιογνώστης & solus mentis inspector est, *c. si quid inueristi, 14. quæst. 5. c. erubescant, 32. distinct.* Nam etsi non negemus iuramentũ Deo præstari, cui mentes & corda iurantium nota sunt: tamen etiam ei qui detulit iusiurandum satisfaciendum est. Ei verò non satis fit, cum

iusiurandum ita vt delatum est, non præstatur, nec sciri potest, ita iuratum esse, vt delatum est iuramentum, nisi ex verbis id intelligatur. Hoc amplius defi-
29. bis id intelligatur. Hoc amplius definitioni nostræ iurisiurandi obstare videtur. *l. admonendi, h.t.n.* Etenim ibi præstito iuramento lis non finitur, sed ex integro causa agitur, & vt ICtus loquitur, post iusiurandum quoque exactum constitutionibus principum permittitur ex integro causam agere. Iuramentum igitur cum obtestatione diuina factum, non est certa litis definitio. Hæc difficultas ita tollenda est. *In l. admonendi, h.t.n.* præstito iureiurando, lis fuit definita & decisa. Hoc perspicuè indicat *d. l. admonendi*, siquidem in ea lege dicitur, Imperatorum constitutiones, quæ post iuramentum exactum, permittunt ex integro causam agere, locum tunc habere, cum à iudice aliquis absolutus fuerit. Notentur hæc verba: cum à iudice aliquis absolutus fuerit: Iis verbis ICtus significat, præstito iureiurando, litem fuisse decisam. Cum enim à iudice quis post iuramentum præstitum absoluitur, certè lis finitur. Verùm quoniam iudex in causis dubijs, hoc est, cum adest inopia probationum, *ve*

Impe-

Imperatores loquuntur, in l. 3. C. de reb. credit. & iureiur. & nos infra maximè c. 8. latius ex-
plicabimus, iuramentum defert, & præsti-
to iuramento, iurantem absoluit, & fieri
facilè poteſt, vt in dubietate cauſarum,
ei à iudice deferatur iuſiurandum qui ve-
rè debet; Idcircò Imperatoribus placuit,
ex integro cauſam agi debere, ſi quis di-
cat, noua ſe inueniſſe inſtrumenta, qui-
bus nunc ſolis vſurus ſit, *d. l. admonendi, h.*
t. n Et quemadmodum *ad l. admonendi* re-
ſpondimus in ea lege, Iureiurando, quod
ſententia iudicis ſecuta eſt, litem fuiſſe
definitam & deciſam: Ita reſpondendum 30.
quoque eſt *ad l. fin. C. de reb. cred. & iureiur.*
Nam & ibi lis fuit finita & deciſa iureiur.
legatarij vel fideicommiſſarij, iurantis ſi-
bi in teſtamento, quod non apparet, le-
gatum vel fideicommiſſum fuiſſe reli-
ctum. Intelligitur id ex eo, quod *in d. l. fin.*
dicitur, legatarium vel fideicommiſſari-
um poſt præſtitum iuramentum, id quod
petebat, conſecutum eſſe. Si legatarius
vel fideicommiſſarius, præſtito iuramen-
to quod petijt, conſecutus eſt, iam nemo
dubitare poterit, litem fuiſſe deciſam.
Cæterum ſi prolato teſtamento appare-
at, legatario vel fideicommiſſario lega-

tum aut fideicommissum non fuisse debitum, poterit heres legatum aut fideicommissum repetere, ex noua Imperatoris Iustiniani constitutione, *d. l. fin. C. de reb.*
31. *cred. & iureiur.* Ex ratione eius legis, definitio nostra iurisiurandi rursus impugnari potest, hoc modo. Nemini ex periurio suo lucrum accedere debet: *Ita Iustinianus loquitur in d. l. fin. C. de reb. cred. & iureiur.* Sed multis ex periurio suo lucrum accedet, si iusiurandum statuamus esse certam litis definitionem. Inde igitur videtur dicendum, iusiurandum certam litis definitionem non adferre, sed post iusiurandum præstitum nihilominus superesse actionem, per quam ei, qui iurauit, quique peierauit, impium lucrum, vt Iustinianus ait, auferatur. R. Vtitur quidem Iustinianus *in d. l. fin.* superiori ratione, quæ sanè latissimè patet. Ac eam si sequamur, nullam iusiurandum litem definiet. Etsi enim reus actore iusiurandum deferente iurauerit: tamen actor nihilominus reum iterum molestabit & conueniet, ex hoc fundamento, quod reus peierauerit, & legibus cautum sit, nemini ex periurio suo, lucrum impium accedere debere. At hoc falsissimum est, *& pugnat*

cum

cum l.1.C.de reb.cred. & iureiur. Ibi Imperator docet, causam iureiurando decisam, periurij prætextu retractari non posse, cum præstito iureiurando, nihil amplius quæratur, quàm an iuratum sit, remissa quæstione, an debeatur, vt suprà dictum est, *ex l.non erit ra-tum, h.t. n.* Ratio igitur qua Iustinianus *in d.l.fin.C.de reb.cred.& iureiur.* vtitur, satis commoda non est, eaq; Accursio quoq; & alijs non placuit, & propterea ex ratione d.l.fin. argumentū idoneum ad impugnandam definitionem iurisiurandi non sumitur. Adfert verò Accursius *in d l.fin.C.de reb. cred. & iureiur.* hanc rationem, quare ibi heres prolato testamento, à legatario vel fideicommissario legatum vel fideicommissum solutum repetat, quod inter heredem & legatarium, siue fideicommissarium, lis pependit ex testamento, eaq; lis, iureiurando fuit decisa, quod pro transactione est *l.2.& d.l.admonendi, in fine, h.t.n.* Regula autem iuris est, quod de his controuersijs, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri veritas aliter potest, quàm inspectis cognitisq; verbis testamenti, *l.6.de transactio. l. 1. quemadmo. testa. aper.* Denique ad- 32.
uersus definitionem nostram objicitur, *l. si duo patroni, §. si quis iurauerit,*

cum sequent.h.t.n. Ibi ICtus docet, quod post præstitum iuramentum, vetus actio competat. Igitur iuramentum non est litis decisio. R. Aut reus iurat, & iuramentum certam litis definitionem adfert, quia actori in reum denegatur actio. *l. ait prætor, cum 2. ll. seqq. hoc tit. nostro.* Aut verò actor iurat, & iuramentum similiter certam litis definitionem inducit. Verùm si reus post præstitum ab actore iuramentum non soluat, tunc actori vetus actio competit, quæ iureiurando informata fuit, nec ex eo sequitur, litem iureiurando non fuisse decisam. Nam & res iudicata certam litis definitionem adfert, & tamen in condemnatum, si post tempora iudicati non soluat, datur actio. Et tantùm de primo capite huius tit. nostri.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM diuiſionem iuriſiurandi continens.

1. *Tres ſunt ſpecies iuriſiurandi, quæ etiam in rubr. ff. enumerantur.*
2. *Definitiones trium ſpecierum iuriſiurandi: Voluntarij, iudicialis, & neceſſarij.*
3. *Iuſiurandum voluntarium, quibus legibus fundatum ſit.*
4. *De iureiurando iudiciali, totum edictum prætoris de iureiurando conceptum videtur.*
5. *Iuſiurandum neceſſarium, quibus legibus fundatum ſit.*
6. *Rectè tribus ante dictis iuriſiurandi ſpeciebus, ſpecialia nomina à Triboniano indita eſſe probatur.*
7. *Argumentum quo probari videtur iuriſiurandi quòd lites finit, duas ſolummodo ſpecies eſſe.*
8. *Diſſolutio eiuſdem argumenti: Ibidem differentia plurima inter iuramentum voluntarium, & iudiciale.*
9. *Differentia inter iuſiurandum iudiciale*

relatum, necessariò recipiendum, & iusiurandum necessarium propriè sic dictum.

10. *Iureiurando necessario delato, & eo cui delatum est, mortuo, antequam iuraret, iurandi facultas ad heredem transit.*

11. *Reÿcitur illorum sententia, qui duas saltem species iurisiurandi constituunt.*

12. *Explicatur l. 1. ff. de iureiurando.*

13. *Explicatur l. generaliter 12. C. de reb. cred. & iureiur.*

14. *Sententia l. 1. C. de reb. cred. & iureiur. proponitur.*

15. *Iusiurandum iudiciale, dicitur à loco iudicij, & rectè.*

16. *Iusiurandum quod à iudice defertur in causis dubijs, non rectè dicitur iudiciale.*

NVnc ad secundũ caput transibimus, & de speciebus iurisiurandi, quod lites finit, dicemus. Proponuntur autem in
1. Rubrica siue inscriptione huius tituli tres species iurisiurandi. Iusiurandum voluntarium, necessarium, & iudiciale. Sic enim rubrica habet, de iureiurando siue voluntario siue necessario, siue iudiciali. Hæ appellationes tantùm in rubrica extant, nec alibi vsquã in toto iure, in

re, in ff. vel Cod. leguntur. Vnde quidam non improbabiliter tradiderunt dictas appellationes non ICtis, nec Imperatoribus accepto ferendas esse, sed Triboniano, Theophilo ac reliquis librorũ nostrorũ compilatoribus esse adscribendas. Ac procul dubio Tribonianus cum collegis suis, his appellationibus idcircò vsus est, quod in foro receptæ essent. Licet verò appellationes iurisiurandi voluntarij, necessarij & iudicialis, ICtis ac Imperatoribus Romanis ante Iustinianũ Imperatorem incognitæ fuerunt: tamen res, quæ istis appellationibus significantur, semper fuerunt notissimæ, sicuti ex definitionibus specierũ iurisiurandi constabit. Definitiones hæ sunt. Voluntarium 2.
iusiurandum est, quod pars defert parti, extra iudicium. Iudiciale, quod pars defert parti in iudicio, iudice iuramentum approbante. Necessarium, quod à iudice defertur in causis dubijs, vel ob inopiam probationum. Has res, omnibus temporibus ICti & Imperatores Romani agnouerunt. De iureiurando, quod pars de- 3.
fert parti extra iudicium, id liquidò apparet *ex l. iusiurandum quod ex conuentione, hoc titulo nostro.* In eâ enim lege ICtus

Pau-

Paulus nominatim loquitur de iureiurando, quod à parte parti extra iudicium defertur: Iusiurandum, inquit, quod ex conuentione extra iudicium defertur, referri non potest. Intelligitur id ipsum quoq; *ex l. in duobus, §. penult. h. t. n.* Ea lex similiter est Pauli ICti, & loquitur Paulus *in d. §. penult.* de iureiur. quod extra iudicium defertur: Si reus, ait, extra iudicium, actore deferente iurauerit, se dare non oportere, & actor, reo deferente iurauerit, dari sibi oportere, vel contrà, posterior causa iurisiurandi potior habebitur.

4 De iureiurando, quod pars defert parti in iudicio, iudice iuramentum approbante, conceptum videtur fuisse totum edictum prætoris de iureiurando, quamuis aliter Hugoni Donello videatur, *in commentarijs ad hunc tit. nost. c. 3.* Intelligitur hoc ex fragmentis verborum edicti, quæ supersunt. Ita namque verba edicti habent: Si is, cum quo agetur, conditione delata iurauerit, *l. 3. in princ. hoc tit. n.* Hæc verba: si is, cum quo agetur iurauerit, ostendunt, prætorem loqui de iureiurando, quod actor defert reo in iudicio, & sic Vlpianus eum, cum quo agetur, reum interpretatur, *in d. l. 3. h. t. n.*

h.t.n. Quod verò iudex iuramentum à parte parti in iudicio delatum approbet, alia edicti verba, *quæ extant in l. iusiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, hoc tit. nostro,* ostendunt. Ibi Iurisconsultus refert, prætorem ita edixisse: Eum à quo iusiurandum petetur, soluere aut iurare cogam. Cogit prætor eum, à quo iusiurandum petitur, in iudicio tantùm, non extra iudicium. Ex quo rursus apparet, edictum prætoris esse de iureiurando, quod in iudicio defertur. Et quia prætor cogit eum à quo iusiurandum petitur, vt soluat, aut iuret, quod fit, cum in sententia definitiua iusiurandum imponit. *l. cum iudex, C. de sentent.* Vel etiam interloquitur, vt iuret is, à quo iusiurandum petitur, & postea ex iureiurando, vel præstito, vel relato, vel remisso, vel recusato, sententiam fert, *l. iusiurandum & ad pecunias, §. fin. h. t. nostro, sicuti cap. 6. infrà latius explicabimus.* Iam certè iusiurandum prætor approbat, atque ita perspicuum est, hanc speciem iurisiurandi, quod pars defert parti in iudicio, iudice iuramentum approbante, verbis edicti prætoris propositam, & ob id ICtis, qui edictum prætoris interpretati sunt, notissimam fuisse. Eandem quoque iu-

risiurandi speciem, quæ à parte parti in iudicio defertur, iudice iuramentum approbante, Imperator Iustinianus proponit, *in l. generaliter, §. sed iuramento, C. de reb. cred. & iureiur.* Iuramento inquit illato, cum hoc à partibus factum fuerit, &
5 à iudice approbatum. De iureiurando, quod à iudice defertur in causis dubijs, est *l. admonendi, hoc titulo nostro*, in qua Caius Iurisconsultus docet, iudices solere in dubijs causis, exacto iureiurando, secundum eum iudicare, qui iurauerit. Ad hanc speciem Iurisiurandi, pertinet quoque *l 3. C. de rebus cred. & iureiur.* Ibi à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus est rescriptum: In bonæ fidei contractibus, nec non etiam in cæteris causis, inopia probationum, per iudicem iureiurando causa cognita, res decidi oportere. Meminit quoque huius iurisiurandi Iustinianus *in d. l. generaliter, in princ. ibi vel à iudice, & in §. sed iuramento illato, ibi ex auctoritate iudicis, cuicunque parti illatum. C. de rebus cred. & iureiur.* & Caius *in l. 1 hoc titulo nostro, dum inquit, ex auctoritate iudicis controuersias decidi.* Deciduntur controuersiæ auctoritate iudicis, quando iudex in causis dubijs iuramentum

defert,

defert, & poſtea ſecundum eum iudicat, qui iurauit, *vt ICtus loquitur in d. l. admonendi, h. t.n.* Ex his relinquitur, has tres iuramentorum ſpecies, cum iuramentum vel extra iudicium defertur, vel in iudicio, iudice iuramentum approbante, vel ex auctoritate iudicis in cauſis dubijs, temporibus ICtorum ac Imperatorum Romanorum vſitatas fuiſſe, ad eaſq; totũ hunc titulum, & titul. C. de reb. cred. & iureiur. pertinere, licet ante tempora Iuſtiniani Imperatoris, ICti ac Imperatores Romani his appellationibus, voluntarium, neceſſarium. & iudiciale vſi non fuerint. Ac rectè Tribonianus ſuperioribus tribus iuramentorum ſpeciebus, appellationes voluntarij, iudicialis & neceſſarij iuriſiurandi indidit. Nam iuſiurãdum, quod pars defert parti extra iudicium, ex libera partium voluntate defertur, ex libera etiam voluntate partium ſuſcipitur, & vt pars quæ extra iudicium iuſiurandum defert, inuita id non facit: ita pars, cui iuſiurandum extra iudicium defertur, delatum iuſiurandum inuita nõ ſuſcipit, ſed impunè prorſus, ſi velit, recuſat, vel etiã volens ſuſcipit, & ob id meritò iuſiurandum, quod pars defert parti 6.
extra

extra iudicium, voluntarium iusiurandum appellatur. Iusiurandum quod à parte parti in iudicio defertur, rectissimè iudiciale iusiurandum nominatur: Primùm à loco, in quo defertur, deinde à iudice, qui iusiurandum delatum approbat, & eum cui delatum est iusiurandum, vel soluere vel iurare cogit. Iusiurandum, quod à iudice defertur in caussis dubijs, is cui defertur, omninò velit nolit suscipere cogitur, nec potest iusiurandum delatum referre, non potest etiam iusiurandum recusare, quod si fecerit, tanquam confessus condemnatur, sed appellare potest, vt infrà latius dicemus *l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* Iudex quoque propter inopiam probationum, necessariò iusiurandum defert, & propterea non immeritò iusiurandum hoc, necessarium iusiurandum dicitur. At di-
7. ces, duæ tantùm iurisiurandi, quod lites finit, sunt species, voluntarium scilicet iusiurandum, & necessarium, & sub his duabus speciebus, tertia species comprehenditur, Iusiurandum scilicet iudiciale, quod ita demonstratur: Iudiciale iusiurandum is cui delatum est, vel volens suscipit, & tunc voluntarium dicitur,

tur. Vel refert, & is, cui delatum eſt, neceſſariò relatum iuſiurandum præſtat, aut ſi nolit præſtare, condemnatur, nec appellare poteſt. *d. l generaliter, C. de rebus cred. & iureiur.* Hoc ergo caſu iudiciale iuſiurandum, neceſſarium iuſiurandum eſt. Inde relinquitur, duas tantum iuriſiurandi, quod lites finit, eſſe ſpecies, Iuſiurandum voluntarium & neceſſarium.
Ad hanc obiectionem reſpondebimus ad 8.
hunc modum: Quamuis iudiciale iuramentum à volente ſuſcipiatur; non tamen propterea iudiciale iuramentum eſt voluntarium iuramentum, aut voluntarium dici poteſt, ſed à voluntario iureiurando plurimum differt, quemadmodum ex ſequentibus intelligetur. Iuramentum quod voluntarium vocamus, tantum extra iudicium defertur: Iudiciale defertur in iudicio. Iuramentum voluntarium, is cui defertur iuramentum, impunè recuſat. Iudiciale iuramentum recuſans, condemnatur *l. generaliter, C. de rebus cred.* Iuramentum voluntarium, ex ſola partium voluntate pendet, nec vllam iudicis approbationem requirit. Iudiciale iuramentum à iudice approbatur, *l. iuſiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, h.t.n.*

l. generaliter, C. de reb. cred. & iuretur. Iuramentum quod voluntarium dicimus, referri non potest. *l. iusiurandum, quod ex conuentione, h.t.n.* Iudiciale rectè refertur. *d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. datur autem & alia facultas, h. t. n.* Denique iuramentum voluntarium deferens, non cogitur de calumnia iurare, id enim nusquam traditum est. Iuramentum iudiciale deferens, de calumnia iurare compellitur, si hoc exigatur, *d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. qui iusiurandum defert, h.t.n.* Ex his nemo non videt, iusiurandum iudiciale, nequaquam voluntarium iusiurandum dici posse, ita vt habeat eandem naturam, & qualitatem, quam habet iusiurandum, quod voluntarium appellamus. Et si iuramentum, quod à parte parti in iudicio defertur, & à volente suscipitur, iusiurandum voluntarium appellauerimus, nunquam tamen illud iuramentum voluntarium erit idem, nec eandem naturam & qualitatem habebit cum iuramento, quod vsitatè voluntarium dicimus, sed necessariò duplex iusiurandum voluntarium constituendum erit. Vnum, quod extra iudiciũ defertur: Alterum quod defertur in iudicio. Illud impunè recusatur, hoc non itẽ.

Illud

Illud iudicis approbationem non requirit, hoc verò requirit. Illud non refertur, hoc poteſt referri. Illud deferens non iurat de calumnia, hoc deferens iurat de calumnia, ſi exigatur. Et hæc de iureiurando iudiciali, quod ſuſcipitur ab eo, cui defertur. Quod ad iuſiurandum iu- 9.
diciale relatũ attinet, quamuis id ab eo, cui refertur, neceſſariò ſuſcipiendum ſit, cùm non debeat diſplicere conditio iuriſiurandi, ei qui detulit, *d. l. iuſiurandum & ad pecunias, §. datur autem, hoc. tit. n.* tamen non propterea iuſiurandum iudiciale relatum, neceſſarium eſt iuſiurandum, nec eandem naturam habet, quam habet iuſiurandum, quod vſitatè neceſſariũ appellamus, ſed plurimũ à neceſſario iureiurando differt, quemadmodum ex ſequentibus apparebit. Iuſiurandum quod neceſſariũ appellamus, à iudice defertur. *l. admonendi, h. t. n. l. 3. C. de reb. cred. & iureiur.* Iudiciale quod refertur, à iudice non defertur. Iuramentum neceſſarium defertur in cauſis dubijs *d. l. admonendi, hoc tit. noſt.* & in inopia probationum *d. l. 3. C. de reb. cred. & iureiur.* Iudiciale iuramentum, quod refertur, non refertur in cauſis dubijs, ſed in quibuſcunq; cauſis. Iuramentũ

necessarium dicitur respectu eius cui defertur, is enim omninò cogitur iurare, item dicitur necessarium respectu iudicis, cuius religioni incumbit necessitas deferendi iurisiurandi in causis dubijs, cum alias litem suam faciat, si non deferat iusiurandum, vt ab interpretibus nostris traditum est. Iudiciale iuramentum quod refertur, ex parte eius tantùm, cui refertur, necessarium est, ex parte referentis necessarium non est, cum volens referat, *d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. datur autem, ibi vt si malit, referat, hoc tit. nostro.* Iuramentum necessarium conuentionem partium non habet. Iuramentum iudiciale quod refertur, ex conuentione partium descendit, & ex placito voluntatis, *vt loquitur Imperator in l. 6. C. de reb. cred. & iureiur.* itemq; ex petitione partium, *vt dicitur in l. generaliter, §. siue autem, C. de rebus cred. & iureiur.* Iuramentum necessarium recusans, condemnatur, sed condemnato appellare permittitur, *d. l. generaliter, §. ipse autem.* Iudiciale iuramentum relatum recusans, condemnatur, & condemnatus appellare non potest, *d. l. generaliter, §. sed iuramento, ibi, necessitate imponenda, ei cui refertur, & rursus, §. siue autem*

illatum.

illatum. Ratio diuersitatis infrà in postre-
mo capite explicabitur. Hoc amplius, 10.
necessario iuramento præstito, & lite de-
cisa propter instrumenta de nouo reper-
ta, causa ex integro agi potest; Iuramen-
to iudiciali relato & præstito, & lite de-
cisa, causa ex integro non agitur, nouis
instrumentis repertis, *l. admonendi, h. t. n.*
Denique iuramento necessario delato,
& eo cui delatum est mortuo, antequam
iuraret, iurandi facultas ad heredem
transit. Secus est in iureiurando iudicia-
li relato. Illo enim cui relatum est mor-
tuo, antequam iuraret, facultas iurandi
ad heredem non transit, *vt inf. cap. 7. circa
finem exponemus*. Possent facilè & aliæ dif-
ferentiæ addi ex ijs, quæ cap. 8. infrà di-
cemus. Sed nos iam dictis differentijs
hoc loco contenti erimus, ex ijsque cla-
rum & perspicuum est, iuramentum iu- 11
diciale relatum, necessarium iuramen-
tum non esse, nec habere eam naturam
& qualitatem: quam habet iusiurandum,
quod vsitatè necessarium nominamus.
Quinimò si iuramentum iudiciale rela-
tum, necessarium dixerimus, eò res de-
ueniet, vt duplex iusiurandum necessari-
um constituendum sit, vnum quod à iu-

dice defertur, alterum quod defertur à parte. Illud in causis dubijs deferatur, hoc in quibuscunq; causis. Illud respectu iudicis, ac eius cui defertur, necessariũ dicatur, hoc respectu eius tantùm, cui refertur, non etiã respectu referentis. Illud ex placito partiũ non veniat, hoc veniat. Illud recusans condẽnetur, sed habeat potestatem prouocandi siue appellandi, hoc recusans condemnetur, sed ita vt appellare non posit. Illo præstito, causa ex integro, propter noua reperta instrumenta agatur, hoc præstito, causa ex integro non agatur, quamuis quis dicat, se noua instrumenta reperisse, quibus solis vsurus sit. Illo non præstito, ab eo cui delatũ est, iurandi facultas ad heredẽ transeat, hoc non præstito, ab illo cui relatũ est, iurandi facultas ad heredem non transeat. His
11. ita expositis, intelligimus illorum sententiam & opinionẽ subsistere non posse, qui duas tantùm iurisiurandi, quod lites finit, species esse volunt. Nec quicquam pro ea sententia facit, *l. 1. hoc tit. nost. & l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* Ex illis legibus ita quis argumentari posset. ICtus *in d. l. 1. h. t. n.* docet, controuersias iureiurando decidi, vel ex pactione ipsorum litiga-

tigatorum, vel ex auctoritate iudicis. Ecce hîc ICtus duas duntaxat nominat species iurisiurandi, quibus controuersiæ deciduntur: Iusiurandum scilicet voluntariũ, & iusiurandum necessarium. Voluntarium iusiurandũ intelligit, cum pactionem litigatorum nominat: Necessarium, cum nominat iudicis authoritatem. Inde igitur sequitur, duas tantum esse species iurisiurandi, Iusiurandum voluntarium & necessarium. Sic Imperator Iustinianus *in d. l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* duas tantùm species iurisiurandi quod lites finit, constituere videtur, vnum quod à partibus defertur, alterum quod defertur à iudice. Sic enim *in princ. d. l. generaliter,* inquit: generaliter de omnibus iuramentis, quæ in litibus offeruntur, vel à iudice, vel à partibus definiendum est. Et postea *in §. sed iuramento illato,* rursus docet, iuramentũ inferri, vel à partibus, vel ex auctoritate iudicis. Igitur duæ tantum sunt species iurisiurandi. Sed vt dixi, nihil hæc faciunt pro sententia illorum, qui duas iurisiurandi species esse contendũt. Nam cum ICtus *in d. l. 1. hoc tit. nost.* docet, 12. ex pactione litigatorum iureiurando controuersias decidi, per pactionem liti-

gatorum, intelligit pactionem siue conuentionem litigatorum, quæ fit vel extra iudicium, vel in iudicio. Si iusiurandum descendat ex pactione litigatorum, facta extra iudicium, tunc iusiurandum, voluntarium est iusiurandum. Si descendat ex pactione, quæ fit in iudicio, iuramentum iudiciale est iuramentum. Vtramq; conuentionem, siue pactionem ICtus significat, & propterea *ex d.l.1. hoc tit. nost.* conuinci non potest, duas tantum esse
13. species iurisiurandi. Multò minus id probatur *ex d.l.generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* Etenim tota illa lex, est de iureiurando quod pars defert parti in iudicio, & de iureiurando, quod iudex defert in causis dubijs. De iureiurando, quod à parte parti extra iudicium defertur, nihil in ea lege agitur. Intelligitur hoc primum ex eo, quod Iustinianus Imperator, postquàm dixit, omne iuramentum vel à partibus, vel à iudice deferri, subijcit mox, iuramentum delatum sub ipso iudice dari, hoc est, præstari debere. At quod extra iudicium defertur, non datur, siue præstatur sub iudice. Ideoque Iustinianus de iuramento, quod extra iudicium defertur, ibi non agit. Quod secundò

cundò inde etiam intelligitur, quòd Iustinianus non absolutè de iureiurando à partibus delato loquitur, sed de illo iureiurando à partibus delato, quod iudex approbauit. Iudex autem approbat tantum iusiurandum in iudicio delatum, extra iudicium delatum iusiurandum, iudex non approbat, nec extra iudicium cogit eum, cui delatum est iusiurandum, vt iuret, vel soluat. Quamuis autem Iustinianus *in d.l. generaliter*, de iureiurando quod pars parti extra iudicium defert, nõ tractat: tamen inde non efficitur, duas tantum iurisiurandi species esse, cum nihil prohibeat, quo minus rei alicuius, pluribus existentibus speciebus, de vna atque altera specie, separatim rectè agatur. Sic Antoninus Imperator, *in l. 1. C. de reb. cred. & iureiur.* iurisiurandi voluntarij, quod extra iudicium defertur, itemque iurisiurandi iudicialis meminit. Sic enim inquit: Causa iureiurando, ex consensu vtriusque partis, vel aduersario inferente, decisa, periurij prætextu, retractari non potest. His verbis, ex consensu vtriusque partis, significat Imperator iusiurandum voluntarium. Sequentibus verbis, vel aduersario inferente, intelli- 14

git iusiurandum iudiciale, *vt Accursio quoq; in d.l.1.C.de reb cred. & iureiur. visum est.* Et iudiciale iusiurandum, quod notandum est, ab Antonino Imperatore dicitur, ab aduersario inferri, opponiturq; iurijurando voluntario, quo causa ex consensu vtriusq; partis deciditur, non propterea, quod iudiciale iusiurandum, ex consensu partium non descendat, ex consensu enim & placito, siue pactione partium venit. *l. cum proponas, C.de reb. cred. & iureiur. l.1.hoc tit.n.* quemadmodum supra quoque dictum est Sed idcircò quod consensus partium, qui in judiciali iureiurando intercedit, non æquè liber est, ac liber est consensus partium, in voluntario iureiurando, cum voluntarium iusiurandum liberè deferatur, liberè etiã suscipiatur. Iudiciale liberè deferatur, sed vel suscipiendum sit, vel referendum, *vt sup. est expositum*, & ideo illud Antoninus Imperator rescripsit ex consensu vtriusq; partis venire, hoc ab aduersario deferri, *d.l.1.C.de reb.cred. & iureiur.* Sicuti verò ex eo, quod Antoninus Imperator *in d. l.1.* duarum tantum specierum iurisiurandi mentionem facit, iurisiurandi scilicet voluntarij, & iudicialis, non

rectè

rectè infertur, duas tantum illas esse species iurisiurandi. Ita quoq; *ex d.l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.* in qua Iustinianus duarum tantum specierum iurisiurandi meminit, non rectè colligitur, duas tantum iurisiurandi species ponendas esse. Hoc amplius superioribus iuris- 15.
iurandi speciebus & definitionibus, non aduersatur, quod absurdum videri posset, Iudiciale iusiurandum dici à loco. Nam cum absurdum non sit, vt locus in quo ius redditur, ius dicatur, appellatione collata ab eo, quod fit, in eo vbi fit. *l. ius pluribus modis, de iustit. & iure.* Multò minus absurdum videri potest, quod iudiciale iusiurandum à loco nomen habere dicimus, maximè cum non solus locus, sed etiam iudex, qui iusiurandum delatũ approbat, iudiciale iusiurandum faciat, vt supra quoq; monui. Deniq; quamuis 16.
iusiurandum, quod in causis dubijs defertur, à iudice defertur, & quidem in iudicio, non tamen propterea hoc iusiurandum, iudiciale iusiurandum appellari debet, sed potius necessarium, cum propter inopiam probationum, necessariò à iudice deferatur, necessariò etiam ab eo, cui delatum est, suscipiatur, quo-

rum neutrum contingit in iureiurando, quod pars parti defert in iudicio, iudice iuramentum approbante. Ideoque hoc potius iudiciale nominatur, quàm illud. Et hæc de ſpeciebus iuriſiurandi quod lites finit, breuiter dixiſſe ſufficiat. Tranſibimus nunc ad caput tertium & inquiremus qui iuſiurandum deferre poſsint.

CAPVT TERTIVM, qui iuſiurandum deferant.

1. *Varia vocabula, quibus ICti vtuntur, quando iuſiurandum ab aliquo deferri, indicare volunt.*
2. *Iuſiurandum non aliter finit litem, quàm ſi delatum eſt.*
3. *Non ſolum actor, reo iuramentum deferre poteſt, ſed etiam reus actori.*
4. *Non ſufficit ad finiendas lites, iuramentum eſſe delatum, ſed etiam iurari oportet, vt delatum eſt iuſiurandum.*
5. *Si inter partes de qualitate iuriſiurandi dubitatum eſt, ad arbitrium iudicantis ea res pertinet.*

6. For-

6. *Forma & conceptio iurisiurandi licita esse debet, aliàs iusiurandum pro non delato habetur.*
7. *Infantes an iusiurandum deferant: Et quinam sint infantes.*
8. *Quare infantes iusiurandum non deferant.*
9. *Pupilli iusiurandum an deferant: Et quinam pupilli sint: Quaeq; sit eius decisionis ratio.*
10. *Pupilli proximi infantia qui sint, item qui sint pubertati proximi.*
11. *Pupilli adhibita tutoris auctoritate iusiurandum deferre possunt.*
12. *Iusiurandum à pupillo sine auctoritate tutoris delatum, an ipso iure noceat.*
13. *Exemplo declaratur, iusiurandum à pupillo sine auctoritate tutoris delatum nocere, quo ad exceptionem, sed replicatione illam exceptionem elidi.*
14. *Explicatur l. 1. §. 1. ff. Quarum rerum actio non datur.*
15. *Refutatur argumentum, quo probari videtur, pupillum tutore auctore nihil agere posse, ita vt ipsi noceat.*
16. *Dissoluitur aliud argumentum, quo probari posset, pupillum nec tutore auctore iuramentum rectè deferre.*

17. Qui

17. *Qui aduersario iusiurandum deferente iurauit, omni obligatione, ciuili & naturali, liberatur.*
18. *Conciliatur §. aequè si debitor, Instit. de exceptio. cum aliquot ll. ff torum.*
19. *Theophili interpretatio in d. §. aequè si debitor, reiecta.*
20. *Quomodo intelligendum sit, quod in l. fin. ff. de iureiur. iusiurandum, pactioni simile dicitur.*
21. *Pupillus restituitur facilè in integrum aduersus iusiurandum, sed non aduersus solutionem: Ibidemq́ istius diuersi iuris ratio.*
22. *Prodigi an iusiurandum deferant, & qui sint.*
23. *Perpetuò furiosi, & mente capti, similes prodigis sunt, ideoq́ iusiurandum non deferunt.*
24. *Curator prodigi, furiosi, aut dementis, iusiurandum rectè defert.*
25. *An pubes curatorem habens, prodigo comparetur.*
26. *Prodigus olim ipso iure in agnatorum curatione fuit, ex l. 12. tabul. Hodiè autem interdictio fit per praetorem.*
27. *An pubes curatorem habens, iusiurandum deferre possit.*

28. *Is rectè defert iusiurandum cui solui potest.*
29. *Explicatur l. 3. C. de in integ. restit. minor.*
30. *Explicatur l. 4. C. de reb. cred. & iureiur.*
31. *Procuratores an iusiurandum deferant, & qui sint.*
32. *Procurator omnis est mandatarius.*
33. *Procurator ad agendum constitutus, iusiurandum deferre non potest.*
34. *Procurator vniuersorum bonorum iusiurandum rectè defert.*
35. *Defensor municipum vel cuiusuis alterius corporis iuramentum deferre potest, si hoc ei mandatum fuerit.*
36. *Seruus, nisi peculij administrationem habeat, iusiurandum deferre non potest.*
37. *Peculium in l. 20. ff. de iureiur. litem quæ est de peculio, significat.*
38. *An seruus in iudicio poßit deferre iusiurandum, si de peculio ipsius agatur.*
39. *Quomodo intelligendum sit quòd dicitur, seruum in iudicio esse non posse.*
40. *Seruo in iudicio deferente iusiurandum actori qui cum domino agit, si is iuret, an in dominum actio de peculio dari debeat.*
41. *Filiusfamil. in re patris sine speciali mandato iusiurandum non defert.*

42. In

42. *In re peculiari filiusfamil. iusiurandum rectè defert, si peculij administrationem liberam habet.*

1. Eferre iusiurandum, aliàs ICti & Imperatores appellant inferre iusiurandum, *l. in duobus, §. fin. h. t. n. l. si quis iusiurandum intulerit, l. generaliter, §. omne, cum duobus §§. seqq. C. de rebus cred. & iureiur.* nonnunquam dare iusiurandum, *l. 4. C. de reb. cred. & iureiur.* Ibi legitur si pupillus tutori iusiurandum detulerit, sed Accursius notat aliàs pro detulerit, legi, dederit, atque ita habuerunt omnes libri manuscripti, *vt à Ludouico Rusardo in d. l. 4. annotatum est.* Sic Seneca *in 7. declamati.* inquit: Iusiurandum tibi dabo, hoc est, deferam. Quamuis dare iusiurandum frequentius idem significat, quod iusiurandum præstare, *l. non erit ratum, §. dato iureiurando, l. nam posteaquam, §. iureiurando dato, h. t. l. cum quis, §. codicillis, ibi iusiurandum dedisse, hoc est præstitisse, de leg. 3.* Interdum pro deferre iusiurandum, ICti dicunt, iusiurandum ab aliquo petere. Et sic in edicto prætoris scriptum est, cum à quo iusiurandum

pete-

petetur, soluere aut iurare cogam, *l. iusiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, hoc tit. n.* Iusiurandum autem in iudicio, vel extra 2.
iudicium præstitum, non aliter litem finit, quàm si delatum fuerit. Sic enim verba edicti prætoris habent: Si is cum quo agetur, conditione delata iurauerit, *l. ait prætor, in princ. h. t. n.* Et ibi Vlpianus edictum prætoris explicans, docet, prætorem frustra non adiecisse hæc verba, conditione delata. Nam inquit, si reus iurauit, nemine ei iusiurandum deferente, prætor id iusiurandúm non tuebitur. Sibi enim iurauit, alioquin facillimus quisque ad iusiurandum decurrens, nemine sibi deferente iusiurandum, oneribus actionum se liberabit, *d. l. 3. h. t. n.* Loquitur verò de eo, cum quo agitur, hoc est, de reo, vt Vlpianus interpretatur, sed quod prætor de reo edixit, idem sentiendum est de actore. Nec enim actor duntaxat 3.
reo iusiurandum deferre potest, sed etiam versa vice reus rectè defert iusiurandum actori, *l. quidam, l. in duobus, §. fin. l. quod si iurauit, l. eum qui iurauit, in princ. & §. si iurauero, h. t. n.* Veluti si actor de pecunia credita agat, & contendat sibi decem à Titio dari oportere, Titius potest actori

iusiurandum deferre vt iuret decem sibi dari oportere, *l. quoties, h. t. n.* Et actori delato vel relato iureiurando, si iurauerit, vel si ei remissum sit sacramentum, ad similitudinem iudicati in factum actio competit, vt à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus rescriptum est, *in l. actori, C. de reb. cred. & iureiu.* Et non solum in iudicio reus actori iusiurandum defert, verum etiam extra iudicium, *d. l. in duobus,*
4. *§. fin. h. t. n.* Hoc amplius non satis est iusiurandum deferri, sed iurari quoq; oportet, vt delatum est iusiurandum. Et si ego detuli iusiurandum, vt per Deum iurares, tu per caput tuum iurasti, vel filiorum tuorum, non erit ratum habendum iusiurandum, *l. 3. § fin. cum duab. ll. seqq hoc tit. n.* Sed etsi, per salutem tuam iurasti, licet per Deum iurare videaris, respectu enim diuini numinis ita iurasti, attamen cum non ita specialiter iusiurandum tibi delatum sit, iurasse non videris, & ideò ex integro solemniter iurandũ est, *l. qui*
5. *per salutem, hoc tit. nost.* Et si de qualitate iuramenti inter partes fuerit dubitatum, hoc est, si vel actor reo, vel reus actori iusiurandum detulerit, & ei, cui delatum est iusiurandum, conditio quidem

dem iurisiurandi placeat, conceptio autem siue formula iurisiurandi displiceat, conceptio siue formula iurisiurandi arbitrio iudicantis est, *d.l. iusiurandum & ad pecunias, §. si de qualitate, h t.n.* hoc est, hoc casu iudex formulam iurisiurandi concipiet, secundum quam iuramentum præstabitur. Ac debet formula siue conce- 6.
ptio iuramenti esse licita, non improbatæ publicæ religionis. Ac omne licitũ iusiurandum, per quod voluit quis sibi iurari, idoneum est, & si ex eo fuerit iuratũ, prætor id tuebitur. Si quis illicitum iusiurandum detulerit, improbatæ scilicet publicæ religionis, pro eo habebitur, atque si delatum vel iuratum non esset, vt ab Vlpiano traditum est, *in l. non erit ratum, h.t n.* Videamus igitur de his, qui iusiurandum deferre possunt, vel non possunt deferre: Et quidem de illis, qui iusiurandum non deferunt: Ita enim intelligemus qui iusiurandum possunt deferre, *argum. §. 1 Instit. de his qui sui vel alie. iur. sunt, l. 1. ff. eodem.* Iuramentum autem non 7.
deferunt infantes, hoc est, minores septem annis. Hos enim infantes in iure ciuili appellamus, *l. si infanti, C. de iure deliberan. l. 1. de administrat. & peric.*

tuto.. propterea ſcilicet, quod fari neſciunt. Et quamuis nonnulli citius, alij tardius loqui incipiunt: tamen illi, qui tardiſsimè fari, hoc eſt, loqui incipiunt, ſeptimo anno completo loquuntur, & idcirco ICtis & Imperatoribus placuit, infantiam vſque ad annum ſeptimum extendere, & hæc eſt receptiſsima interpretum noſtrorum ſententia, *gl. in l. etiam infantem, de adoptio. & ibi Iohan. Corraſ. gl. in l. 1. §. initium, de poſtulan. l. quod infans, de rei vindicatio. l. 3. § ſi pupillus, de tutelis, & in §. pupillus, Inſtit. de inutil. ſtipulatio. latiſsimè Menochius de arbitrar. iudic. quæſtio. lib. 2. cent. 1.*
8. *caſu 57.* Ideo verò infantes iuſiurandum non deferunt, quia non intelligunt, quod agunt, & mente, intellectu, ac ſenſu carent, ſicuti furioſi, *d. §. pupillus, Inſtitut. de*
9. *inutilib. ſtipulatio.* Deinde iuſiurandum non deferunt pupilli, hoc eſt, qui impuberes exierunt de patris poteſtate, ſiue morte id acciderit, ſiue emancipatione, *l. pupillus, de verbo. ſignific.* Ita enim pupillos hîc accipimus, licet quandoque pupilli etiam dicantur impuberes, qui in parentum poteſtate ſunt, *vt textus eſt in l. ult. §. 1. de verbo. obligatio.* Ratio verò, quare pupilli non poſsint iuſiurandum de-

ferre,

ferre, eſt, quia rerum adminiſtrandarum
ius eis non competit, ſecundum Paulum
ICtum, *in l. Iuſiurandum quod ex conuentione,*
§. 1. h. t. n. Et hæc de pupillis proximis in-
fantiæ & pubertati proximis dicimus.
Pupilli proximi infantiæ appellantur, qui 10.
egreſsi ſunt infantiam, & linguæ gnari
ſunt, rerum ignari, hoc eſt, qui fari poſ-
ſunt, ſed non intelligunt quid agant, *vt*
dicitur in l. ſeruum pupilli, rem pupilli ſaluam
fore. Proximi pubertati, qui nondum in-
greſsi ſunt pubertatem, ſed prope eam
ſunt, ita vt annale duntaxat, vel ſemeſtre
tempus reliquum ſit, *l. non tantum, de excu-*
ſatio. tuto. quamuis interpretes noſtri de
proximis pubertati diuerſimodè ſentiant
& loquantur, *vt apud Menochium, de arbitr.*
iud. quæſtio. d. lib. 2. cent. 1. caſu 57. prolixè vide-
ri poteſt, vbi tandem concludit, & dicit verio-
rem opinionem, & hodie magis receptam eſſe, vt
iudicis arbitrio relinquatur, qua ætate ante deci-
mum quartum annum, maſculus pubertati proxi-
mus eſſe cenſeatur. Sanè pupilli, tutore au- 11.
ctore, iuſiurandum deferre poſſunt, *d. l.*
Iuſiurandum quod ex conuentione, §. 1. hoc tit. n.
quia & alia omnia tutore auctore poſſunt
agere, *l. in negotijs, de reg. iur.* quamuis
ipſorum conditio per hoc deterior reddi

12. videatur, *§ 1. Instit. de aucto. tuto.* Sed videamus quid iuris sit, si pupillus sine tutore alicui iusiurandum detulerit, & is cui delatum est iusiurandum iurauerit, vtrum ipso iure iusiurandum non valeat, an verò viribus subsistat, sed infringatur opposita replicatione, quod pupillus sine tutore ius deferendi iurisiurandi non habuerit. Et quamuis Hugo Donellus *in tit. de iureiur. c. 4.* censuerit, pupillo iusiurandum deferenti, ipso iure iusiurandum non nocere, tamen verius est, valere iusiurandum, & pupillo iusiurandum deferenti, obstare exceptionem, sed exceptionem illam rursus tolli, & elidi replicatione. Ita enim Paulus tradidit, *in d. l. iusiurandum, quod ex conuentione, §. 1. h. t.* his verbis: Si sine tutore auctore pupillus iusiurandum detulerit, exceptio quidem obstabit, sed replicabitur, quia rerum administrandarum ius ei non competit.

13. Hoc vt rectius intelligatur, exemplo declarabimus, siquidem euidentissimum docendi genus est, per exempla rem declarare, *Matthæ. de Afflict. in prælud. constit. Neapol. quæst. 12. nu. 12.* Pone: Pupillus cum ipsi his siue controuersia esset cum Titio, detulit Titio sine tutoris auctoritate iusiurandum: Titius iusiurandum

suscepit & iurauit: Pupillus post præstitum à Titio iusiurandum, Titium rursus conuenit: Quæstionis est, vtrum Titius pupillo agenti possit obijcere exceptionem iurisiurandi. Hîc si dicamus iusiurandum à pupillo delatum & à Titio præstitum, nullius esse momenti ipso iure, non obstabit pupillo agenti exceptio delati & præstiti iurisiurandi. Quod enim ipso iure nullum est, nullum potest producere effectum. Contra si iusiurandum, quod pupillus sine tutore detulit, ipso iure valet, competet Titio aduersus pupillum agentem, exceptio iurisiurandi. Et hoc posterius verius est. Potest igitur Titius pupillo agenti obijcere exceptionem iurisiurandi, *d. l. iusiurandum quod ex conuentione, § 1. hoc tit. nost.* Cæterum pupillus exceptionem iurisiurandi sibi à Titio obiectam, rursus potest tollere replicatione, quod scilicet non habuerit ius deferendi iurisiurandi, & replicante ita pupillo, exceptio iurisiurandi ipsi non nocet. Hoc est, quod ab Vlpiano *in l. 1.* 14.
§. 1. quarum rerum actio non datur, traditum est: Si pupillus sine tutoris auctoritate detulerit iusiurandum, non obstare pupillo exceptionem. Obstat quidem

exceptio pupillo, vt Paulus inquit, *in d. l. iusiurandum, quod ex conuentione, §. 1. h. t. n.* Verum, quia exceptio tolli potest replicatione, sicq; perinde est, ac si non obstaret exceptio, idcircò Vlpianus absolutè dixit, pupillo non obstare exceptionem, *d. l. 1. §. 1. quarum rerum non datur actio.* Et quemadmodum in toto illo titulo, quarum rerum actio non datur, actio non dari dicitur, quæ ipso iure datur, sed elidi-tur per exceptionem. Ita exceptio non obstare dicitur, quæ ipso iure obstat, sed tollitur per replicationem. Iusiurandum igitur à pupillo sine tutoris auctoritate delatum, pupillo non nocet, cum tutoris
15. auctoritate delatum, nocet. Nec obstat, *l. 2. C. si tutor vel curator interuenerit*, in qua ab Alexandro Imperatore rescriptum est, pupillum in integrum restitui, si in iudicio, vel extra iudicium, tutore auctore quid egerit, & circumuentus fuerit. Nam ex illa lege non rectè colligitur, pupillum tutore auctore, in iudicio vel extra iudicium, iusiurandum deferre non posse. Hoc ex ea lege si velles efficere, simul id quoque efficeres, pupillum tutore auctore reliqua negocia non rectè agere. At hoc falsum est; Ergo & illud. Rectè

ergo

ergo pupillus tutore auctore iusiurandum defert. Cæterum si læsus fuerit pupillus ex eo, quod tutore auctore iusiurandum detulit, vel quid aliud egit, in integrum restitui poterit, *d. l. 2. C. si tutor vel curator interue.* Nec aduersatur, quod 16.
iusiurandum loco solutionis est. *d. l. iusiurandum quod ex conuentione, §. si tutor, ibi solui eis potest, & l. iusiurandum etiam, l. tutor pupilli, §. 1. ibi, siue pro solutione, h. t. n.* quodque pupillus in integrum non restituitur, si ei solutum fuerit intercedente tutoris & iudicis auctoritate, *l. sancimus, 1. C. de admini. tuto. vel curato. §. fin. Instit. quib. alie. licet vel non.* Ibi dicitur plenissimam securitatem eum consequi, nec in posterum inquietari debere, qui iudice & tutore auctore pupillo soluit. Ad hanc obiectionem ita respondendum est: Verum est, quod iusiurandum pro solutione est. Is enim qui aduersario iusiurandum deferente iurauit, æquè liberatur ac si soluisset. Qui soluit, naturali obligatione liberatur, liberatur quoque obligatione ciuili, solutione namque eius, quod debetur, omnis obligatio tollitur, *§. 1. Instit. quib. mod. tolli. oblig.* Ad eundem modum 17.
ui aduersario iusiurandum deferente

iurauit, naturali & ciuili obligatione liberatur. De naturali obligatione hoc traditum est, *in l. si quis iurasset, de condictio. indeb. & in l. Stichum aut Pamphilum, §. naturalis, de solutio. & in l. fin. h. t. n. In d. l. si quis iurasset*, Paulus ICtus docet, si quis iurasset, se dare non oportere, ab omni contentione discedi, atque ita solutam pecuniam repeti posse. Cum affirmat Paulus, solutam pecuniam post iusiurandum præstitum repeti posse, satis significat, iureiurando naturalem obligationem fuisse sublatam. Si enim naturalis obligatio post præstitum iusiurandũ maneret, pecunia soluta repeti non posset, cum naturale debitum, repetitionem impediat, *tot. tit. de condict. indeb. in d. l. Stichum aut Pamphilum, §. naturalis*, Papinianus ICtus inquit, naturalem obligationem vt pecuniæ numeratione, ita iusto pacto vel iureiurando ipso iure tolli. *in d. l. fin. h. t. n.* agitur de pupillo, qui creditore iusiurandum deferente iurauit, se dare non oportere, & auctore Pomponio ICto, hoc iureiurando, naturalis obligatio tollitur. De ciuili obligatione idem proditum est, *in l. ait prætor, hoc tit. n.* Ibi Vlpianus verba edicti prætoris refert,

ex quibus perſpicuè conſtat, iureiurando ciuilem obligationem tolli. Sic namque prætor ait: Eius rei, de qua iuſiurandum delatum fuerit, neq; in ipſum, neque in eum ad quem ea res pertinet, actionem dabo. Nota quod prætor actionem non dat in eum qui iurauit. Sic Vlpianus edictum prætoris explicans, de eo inquit, quod iuratum eſt, pollicetur prætor, ſe actionem non daturum, neq; in eum, qui iurauit, neq; in eos, qui in locum eius, cui iuſiurandum delatum eſt, ſuccedunt, *d.l.ait prætor, h. t. n.* Et *in l.nam poſteaquam, h.t.* idem Vlpianus inquit, poſteaquam iuratum eſt, denegatur actio. Cum igitur actio non detur in eum qui iurauit, perſpicuum eſt, eum qui iurauit, ciuili obligatione liberatum eſſe alioquin conueniri poſſet. Iureiurando ergo, & naturalis & ciuilis obligatio tollitur. Nec 18. obſtat, *§. æquè ſi debitor, Inſtit. de exceptio.* in quo Iuſtinianus Imperator docet, quod debitor, qui creditore deferente iurauit, nihil ſe dare oportere, adhuc obligatus permanet, ſed defenditur per exceptionem iuriſiurandi. Nam §. ille intelligendus eſt, ſecundum dictam l. nam poſteaquam, hoc tit. n. In hac lege Vlpia-

Vlpianus tradit, non dari in eum qui iurauit actionem, nisi controuersia sit, id est, nisi ambigatur, an iusiurandum datum sit. Tunc exceptioni locus erit, hoc est, quando controuersia est, aut quando ambigitur, an iuratum sit, tunc in ambiguo, actio dabitur, aduersus quam tamen reus exceptione iurisiurandi se defendet. Sic cum Iustinianus dicit, debitorem adhuc obligatum manere, sed defendi per exceptionem iurisiurandi, hoc ita intelligendum est, vt debitor obligatus maneat, quando controuersia est, hoc est, quando ambigitur, an iusiurandum datum sit. In controuerso & ambiguo, an iuratum sit, manet debitor obligatus, & datur in eum actio, sed defenditur per exceptionem, *d.l.nam posteaquam, hoc tit. n.*
19. Rursus non obstat, quod græcus interpres Theophilus, *in d. § æquè si debitor, Instit. de exceptio.* tradit, iusiurandum ipso iure actionem non extinguere. Etenim Theophilum ea in parte falli dicemus, sicuti multo magis Hottomannus, *in d. §. æquè si debitor*, fallitur. Ille enim tradit, prætorem aduersus iusiurandum actionem cum exceptione dare, quod cum expressis verbis edicti prætoris pugnat, item-

itemque cum ICtorum responsis, vt supra dictum est. Non obstat quoq;, quod 20.
iusiurandum pactioni simile est, & pactio nominatur, *in d.l. fin. ibi naturalis obligatio hac pactione tolletur, h.t.n.* quodque pactum ipso iure actionem non tollit, *tot. tit. de pact. sup.* Nam iusiurandum dicitur simile esse pacto, secundum quid, non per omnia. Sicuti pacto naturalis obligatio tollitur: ita naturalis obligatio tollitur quoque iureiurando. *d.l. Stichum aut Pamphilum, §. naturalis, de solutio.* Similiter sicuti pactum exceptionem parit: ita quoque iusiurandum exceptionem parit. Cæterum pactum semper exceptionem parit, etiam tunc, quando constat, pactionem intercessisse. At ex iureiurando non datur exceptio, nisi cum ambigitur, an iusiurandum datum sit, *d.l. nam postea quam h.t.n.* Plus igitur iusiurandum potest quàm pactum, & pactum naturalem duntaxat obligationem tollit. Iusiurandum tollit quoque obligationem ciuilem, & in hoc iusiurandum simile est solutioni.
Quod verò ad pupillum attinet, resti- 21.
tuitur facilè pupillus in integrum, aduersus iusiurandum, sed non restituitur in integrum, aduersus solutionem. Differentiæ

rentiæ ratio hæc est. Aduersus solutionem non restituitur pupillus in integrũ, ne is, qui soluit, bis soluere cogatur, quod facere cogeretur, qui tutore auctore soluit, si pupillus aduersus solutionem tutore auctore, itemq; iudice faciam, in integrum restitueretur. At qui iurauit pupillo cum tutoris auctoritate iusiurandũ deferente, nihil se pupillo debere, nihil soluit, & propterea aduersus iusiurandum, pupillus in integrum restituitur, si læsus fuerit, quamuis tutore auctore iusiurandum detulerit. Et hæc de infantibus & pupillis. Videamus qui præterea
22. jusiurandum deferre non possint. Non deferunt iusiurandum prodigi, hoc est, qui neq; tempus, neq; finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundunt, *l. 1 de curat. furio. & alijs, extra minor. dandis.* Ita de prodigo traditum est, *in l tutor pupilli, §. 1. h. t. n.* his verbis: Prodigus si deferat iusiurandum, audiendus non est, & subijcit ICtus, idem in cæteris similibus ei dicen-
23. dum esse Similes prodigo sunt furiosi, qui continua mentis alienatione omni intellectu carent, *l. Diuus Marcus de officio præsid.* Itemq; mente capti siue dementes,

qui rebus suis superesse non possunt, & ob id sub curatoribus sunt, non minus quàm furiosi, & prodigi, *§ furiosi, Instit. de curato.* Furiosi igitur & dementes iusiurandum non possunt deferre. Nam inquit ICtus, siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiurandum cedat, non ab alijs delatum probari debet, quàm qui ad hæc habiles sunt, *d. l. tutor pupilli, §. 1 h. t. n.* His verbis ICtus hoc vult dicere, Iusiurandum, interdum accipitur pro pacto, & pactum vocatur, vt supra monui, & prodigi, furiosi, dementes, non possunt pacisci, & ideo nec iusiurandum deferre. Interdum iusiurandũ accipitur pro solutione, & quia prodigis, furiosis, & dementibus non rectè soluitur, ideoq; non rectè quoq; à prodigis, furiosis, & dementibus iusiurandum defertur. Interdum iusiurandum accipitur pro iudicio, hoc est, pro lite contestata, & prodigi, furiosi, & dementes non possunt litẽ contestari, & propterea nec iusiurandum deferre possunt. Curator 24. tamen prodigi, furiosi, aut dementis, rectè iusiurandum defert, *d. l. iusiurandum quod ex conuentione, §. si tutor, hoc tit. nostro.* Ibi ICtus docet, ratum haberi debere

iusiurandum, quod curator furiosi, prodigiuè defert. Nam inquit, & alienare res, & solui ei potest, & agendo rem in
25. iudicium deducit. De pubere, curatorem habente quæritur, an similis sit prodigo, & ob id iusiurandum deferri non possit. Et sanè Diocletianus & Maximianus Imperatores *in l.3.C.de in integr.restitut.mino.* puberem curatorem habentem, non absimilem affirmant esse prodigo. Sic enim Diui Imperatores rescripserunt: Si curatorem habens minor quinque & viginti annis post pupillarem ætatem res vendidisti, hunc contractum seruari non oportet, cum non absimilis ei habeatur minor curatorem habens, cui à prætore curatore dato, bonis interdictum est. Si verò sine curatore constitutus, contractũ fecisti, implorare in integrum restitutionem, si nec dum tempora præfinita excesserint, causa cognita non prohiberis. Hoc rescripto Imperatores distinguunt inter minorem viginti quinque annis, curatorem habentem, & eum qui curatorem non habet, minorem curatorem habentem, faciunt similem ei, cui à prætore curatore dato, bonis interdictum est,
26. hoc est, prodigo. Prodigus olim ex l. 12.

tabu-

tabularum ipso iure in curatione erat agnatorum. Sic enim lex erat concepta: Si furiosus existet, aut prodigus, agnatorum gentiliumq; in eo, pecuniaq; eius potestas esto. *Cornificius in l. ad Heren.* Sed hodie prodigo à prætore curator datur, & bonis interdicitur his solemnibus verbis: Quando bona tua paterna, habitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem, tibi ea re, commercioque interdico. His igitur verbis, cui à prætore, curatore dato, bonis interdictum est, Imperatores prodigum significant. Et sicuti prodigus, curatorem habens, non rectè res suas vendit: Ita minor viginti quinque annis curatorem habens, res suas vendere non potest, quod si fecerit, contractus non valebit. Minorem curatorem non habentem, affirmant Imperatores, restitutionem in integrum petere posse, atq; ita volunt, minorem curatorem non habentem, prodigo similem non esse. An ergo minor curatorem habens, iusiurandum deferre non potest? Ita interpretibus nostris visum est, quorum sententiam nouissimè probauit Donellus, *in commentarijs ad h.t.n.c.4.* Sed hæc interpretum 27.

ſententia facilè admittenda non eſt, cum
nullo in loco expreſsis verbis traditum
ſit, minorem curatorem habentem iuſiu-
randum deferre non poſſe. Quinimò *in l.
nam poſteaquàm, §. ſi minor, h. t. n.* dicitur,
minorem 25. annis, iuſiurandum defe-
rentem, in integrum eſſe reſtituendum,
ſi circumſcriptum ſe docuerit. Et in ſpe-
cie eius §. minor curatorem habuit, quia
iuſiurandum detulit in iudicio. Intelligi-
tur id ex §. proximè præcedenti, vbi litis
conteſtationis fit mentio. At iudicium
nullum fuiſſet ſine curatore. Cum igitur
minor 25. annis, curatorem habens, &
iuſiurandum ſine curatore deferens, in
integrum reſtituatur, aduerſus iuſiuran-
dum, ſi captus ſiue læſus fuerit, iam certè
aliud dici non poteſt, quàm quod iuſiu-
randũ à minore curatorem habente de-
latum, valeat. Hoc amplius, minorem
curatorem habentem, ſine curatore, iuſ-
iurandum deferre poſſe, ſequenti ratio-
28. ne confirmatur. Is rectè defert iuſiuran-
dum, cui ſolui poteſt. *Ita argumentatur
ICtus, in l. iuſiurandum quod ex conuentione,* §.
ſi tutor, h. t. n. Ibi docet, tutorem & cura-
torem furioſi, vel prodigi, iuſiurandum
rectè deferre, quia tutori & curatori
furio-

furiosi, vel prodigi, rectè solui potest. Sic *in l. seruum, quod detulit, cum l. sequenti, h.t.n.* ICtus ex eo, quod seruo solui potest, ostendit seruum peculij administrationem habentem, iusiurandum deferre posse. Sic è contra iusiurandum non rectè defert, cui solui non potest. Ita argumentatur ICtus, *in l. tutor pupilli, h t.n.* Ibi docet, prodigum, & furiosum iusiurandum non deferre, quia prodigus, & furiosus non sunt habiles ad hoc, vt ijs soluatur. At minori 25. annis, curatorem habenti, sine curatore rectè soluitur. Non compellitur quidem debitor soluere minori sine curatore: at si spontè & vltrò debitor soluere velit, hoc facere potest, quamuis minor in integrum restituatur, si pecuniam perdiderit, *l. ait prętor, de minor, 25. annis.* Inde igitur sequitur, minorem 25. annis curatorem habentem, & sine curatore iusiurandum deferre posse. Non obstat 29.
d.l. 3. C. de in integ. restitut. minor. Etenim illa lex suis finibus circumscribenda est, nec temerè trahenda extra casum in quo loquitur. Loquitur autem in casu alienationis, quia minor ibi curatorem habens, sine curatore res vendiderat. Et minor curatorem habens, res suas sine

curatore alienare non poteſt. Idq́; optima ratione conſtitutum eſt, hac nimirum, quod curatori adminiſtratio rerum minoris demandata eſt. Non poteſt igitur minor curatorem habens, ſine curatore res ſuas vendere ſiue alienare. At cætera, quæ rerum alienationem non concernunt, minor curatorem habens, ſine curatore rectè exequitur, vt minor ſine curatore obligari poteſt, *l. puberes, de verb oblig.* Minor quoque rogatus, hereditatem reſtituere curatori, rectè hereditatem curatori reſtituere poteſt, *l. 1. §. fuit quæſitum, ad SCtum Trebel.* Item minori rectè ſoluitur ſine curatore, *d.l. ait prætor, de minor.* Adit etiam minor hereditatem ſine curatore, *l. cum in vna, §. vlt. de appellatio.* Ad eundem modum minor curatorem habens, ſine curatore iuſiurandum poteſt deferre. Verum ſi docuerit, ſe circumſcriptum eſſe, petet reſtitutionem in integrum, *d. l. nam poſteaquam, §. ſi minor, hoc titulo noſtro.* ἔσω τοῦ ὁρισμένου χρόνου, hoc eſt, intra ſtatutum tempus, *vt eſt in ſynopſi baſilicon lib. 22. tit. 5. c. 7.* Sic reſtitutionem in integrum petere etiam poteſt, ſi curatoris auctoritatè iuſiurandum detulerit, & læſus fuerit, vt ſuprà expoſitum

eſt,

est, *l. 2. C. si tutor vel curator interuen.* Sed obstare videtur, l. 4 C. de reb. cred. & iureiur. in qua minor cum tutore suo egit actione tutelæ, & tutori iusiurandum detulit, & ab Impp. Diocletiano & Maximiano est rescriptum, minorem non prohiberi postea eandem litem exercere. Si inquiunt Imperatores ad excludendam tutelæ actionem, pupillus iusiurandum tutori detulerit, postea eandem litem exercere non prohibetur. Loquuntur Imperatores de pupillo, sed pupillus ibi videtur accipi pro eo, qui pubertatem iam egressus est, & curatorem habet, propterea quod Imperatores dicunt, pupillum egisse actione tutelæ, qua actione non agitur, nisi post finitam tutelam cum eo qui tutelam gessit, vt rationes edat & reddat, *tot. tit. de tutela & rationibus distrahen. actione*, atque ita pupillum *in d. l. 4* pro pubere accipi, quidam ab interpretibus nostris censuerunt, vt à Sichardo *ad d. l. 4. C. de reb. cred. & iureiur.* relatum est. Habuit quoque pubes ibi curatorem, aliàs inter tutorem & puberem, iudicium non constitisset. Ac detulit pubes curatorem habens iusiurandum sine curatore, quod ex eo intelligitur, 30.

quod Imperatores reſcripſerunt, puberem eandem litem poſtea exercere non prohiberi. Si curatore auctore, minor iuſiurandum detuliſſet, non poſſet eandem litem poſtea exercere. Minor igitur curatorem habens, ſine curatore iuſiurandum deferre non poteſt, ſi detulerit, perinde habetur, ac ſi non detuliſſet, & nihilominus poſtea eandem litem exercere poteſt. Ad hanc obiectionem ita reſpondemus. *In d. l. 4. C. de reb. cred. & iureiur* minor non egit actione tutelæ, ſed pupillus, quia lex nominatim de pupillo loquitur. Et tutela fuit ibi finita, ſed non pubertate pupilli, alioquin valuiſſet delatio iuriſiurandi à pubere facta ſine curatore, ſed fuit finita tutela alio modo, veluti tutore dato ad tempus, vel ſub certa conditione, vel etiam tutore remoto quaſi ſuſpecto. His caſibus pupillus alio tutore accepto, egit tutelæ actione, & tutori ſine noui tutoris auctoritate iuſiurandum detulit. Hæc delatio non nocet pupillo, ſed pupillus eandem litem poſtea exercere non prohibetur, *d. l. 4. C. de rebus cred. & iureiur.* Et ſi pupillo agenti opponatur exceptio iuriſiurandi, pupillus replicabit, ſe ius deferendi iuriſiuran-

 di ſine

di sine tutore non habuisse, *l. iusiurandum quod ex conuentione, §.1.h.t.n quemad. supra latius expositum est.* Porrò ijs, qui iusiurandum deferre non possunt, annumerantur sub hoc titulo nostro procuratores, hoc est, illi, qui aliena negocia mandato domini administrant. Ita enim procuratores Vlpianus definit, *in l.1. de procur.* Sed hoc indistinctè de omnibus procuratoribus intelligendum non est, sed de ijs tantùm quibus actio mandata est, *l. aliàs autem, cum l seq h.t.n.* In his ll. Vlpianus docet, procuratorem deferentem iusiurandum, audiendum non esse, si ei mandatum tantum fuit, vt petat, hoc est, vt agat. Ratio est, quia procurator aliud facit, quàm ei mandatum est, *vt Vlpianus loquitur, in l. si itaq, mandatum, h t.n.* Procurator omnis, mandatarius est, vt ex definitione procuratoris apparet. Mandatarius autem, fines mandati seruare debet, *l. diligenter, mandati.* nec etiam mandatum in rem vtiliorem commutare, *vt pulchrè à Gellio lib.1.c.13. traditum est, vbi refert Crassum Magistrũ ἀρχιτέκτων, quod non maiorẽ malum misisset, sed quem esse magis idoneũ, aptioremq, faciendo arieti putasset, virgis multam cecidisse.* 31. 32.

Procurator verò non seruat fines mandati, quando ipsi mandatum tantum est, vt ageret siue peteret, & procurator iusiurandum defert; Aliud est agere siue petere, longè aliud iusiurandum deferre.
33. Procurator igitur ad agendum constitutus, si iusiurandum deferat, aliud facit, quàm ei mandatum fuit, & ideo meritò non auditur, *d.l. aliàs autem, cum l.seq.h.t.n.* Nam & procurator ad actionem tantùm factus, pacisci non potest, ei quoq; non
34. potest solui, *l.sed si tantum, de pact.* Aliud dicimus de procuratore, qui vniuersorum bonorum administrationem sustinet, aut cui nominatim mandatum est, vt iusiurandum deferret, aut qui in rem suam procurator est. Huiusmodi procurator, iusiurandum deferre potest, & quod detulit, ratum habendum est, *l. iusiurandum quod ex conuentione, §. fin. h. t. n.* Nam & procurator pacisci potest, si ei mandaui, vt pacisceretur, aut si omnium rerum mearum procurator fuit, aut si in rem suam datus sit procurator, *l. nam &*
35. *nocere, cum l. seq. de pact.* Et quæ de procuratore diximus, intelligenda quoq; sunt de defensore municipum, vel cuiusuis corporis. Nam defensor iusiurandum non

non aliter recte defert, quàm si hoc ei mandatum fuerit, *l. iusiurandum & ad pecunias, §. defensor, h. t. n.* Si mandatum deferendi iurisiurandi defensor à municipio, aut corpore, cuius est defensor, non habeat, iusiurandum deferre non potest. Ratio est, quia ad defendendum est constitutus, non ad deferendum iusiurandũ, & aliud est defendere, aliud iusiurandum deferre. Seruus quoque iusiurandum de- 36.
ferre non potest, si peculij administrationem non habeat. Si seruo peculij administratio concessa fuerit, iusiurandum deferre poterit, *l. seruus quod detulit, h. t. n.* Ibi Paulus ICtus inquit, seruus quod detulit, vel iurauit, seruetur, si peculij administrationem habuit, & subijcit postea Caius, huic enim solui quoque recte potest, & nouandæ obligationis ius habuit, *l. huic enim, h. t. n.* Notetur, quod Paulus inquit, si peculij administrationem habuit. Peculium cum nominat 37.
Paulus, respicit ad rem, siue litem, quæ est de peculio serui. In hac re siue lite, quæ de peculio serui existit, seruus potest iusiurandum deferre, sed ita demum, si liberam peculij administrationem habeat. In re siue lite, quæ non est de pecu-

 lio

lio serui, seruus iusiurandum deferre nequit. Itaque in re domini seruus sine speciali mandato, iusiurandum non rectè defert, sicuti nec filius in re patris, nisi habeat speciale mandatum, *l. nec filius, C. de reb. cred. & iureiu. vt infra latius dicetur.* Et hæc citra dubitationem videntur procedere in iureiurando, quod seruus defert extra iudicium in re, siue controuersia
38 super peculio existente. An autem seruus in iudicio iusiurandum posſit deferre, si de peculio ipsius agatur, de eo dubitari nonnihil posset, propterea quod seruus in iudicio stare non potest. Sic enim à Gordiano Imperatore rescriptum est: Seruus in iudicio interesse nō potest, nec si condemnatio aliqua in personam eius facta sit, quod statutum est, subsistit, *l. seruum, C. de iudic.* Et Diocletianus & Maximianus rescripserunt, inter seruum & liberum, iudicium nullum consistere,
l. cum debitoris, C. de iudic. Seruus namque quod ad ius ciuile attinet, pro nullo habetur, *l quod attinet, de reg. iur.* ac ἀπρόσωπος est, *vt Theophilus loquitur, in Instit. de stipulat. seruo.* Cæterum cum Paulus ICtus generaliter tradiderit, seruandum esse iusiurandum, quod seruus detulit, & omnia

mnia ferè ICtorum responsa sub hoc titulo existentia, ad iusiurandum, quod in iudicio defertur, pertineant, ita Paulum exaudicmus, vt seruus non tantum extra iudicium, verum etiam in iudicio iusiurandum deferre posit, si agatur de peculio ipsius, cuius liberam administrationem habeat. Non obstat, quod seruus 39.
in iudicio esse non potest. Concedimus namque seruum non habere legitimam personam standi in iudicio, ita scilicet, vt seruus causam in iudicio posit agere. At seruus non omninò iusiurandum deferre prohibetur illi, cum quo dominus agit in iudicio de peculio serui, *d. l. seruus quod detulit, h. t. n.* Et licet seruus *ἀπρόσωπος* est: tamen ex persona domini sui *χαρακτηρίζεται, vt Theophilus eleganter loquitur, in d. tit. de stipulat. seruor. in instit.* Seruus itaque iusiurandum in iudicio deferre potest ei, cum quo dominus agit iudicialiter de peculio serui. Et iusiurandum quod seruus detulit, seruabitur, si vt suprà dictum est, seruus liberam peculij administrationem habeat. Quod 40.
si dominus in iudicio conueniatur de peculio serui, & seruus ei, qui cum domino de peculio agit, deferat iusiurandum,

dum, isq; iuret, quidam censuerunt, & de peculio actionem dandam in dominum, *l. quidam, h.t.n.* Inquit ICtus, quidam de peculio actionem dandam in dominum censuerunt, vt significet controuersiam de illo inter ICtos fuisse, vtrum in dominum actio de peculio dari deberet, si actori seruus iusiurandum detulisset. Et quidam existimarunt, in dominum dandam esse de peculio actionem, seruo actori iusiurandum deferente, *d. l. quidam, h.t.n.* Alij contra putarunt, non debere dari in dominum de peculio actionem, si seruus actori iusiurandum detulisset, & horum sententia ab Vlpiano refertur, *in l. 5. § si filiusfamilias, de peculio.* Si inquit ICtus filiusfamilias iusiurandum detulerit, & iuratum sit, de peculio danda est actio, quasi contractum sit, sed in seruo diuersum est. Ecce textum dicentem, non dari de peculio actionem, in dominum, si seruus iusiurandum detulerit, & iuratum sit. Et hanc locorum pugnantiam hîc breuiter annotasse sufficiat. Superest vt de filiofamilias dicamus.
41. Filiusfamilias, in re patris sine speciali mandato iusiurandum non defert. Si enim Diui Imperatores, Diocletianus & Maxi-

Maximiánus rescripserunt: Nec filius, nec quisquam alius, nec litigando, nec paciscendo, sed neque iusiurandum citra voluntatem domini rei deferendo, præiudicium ei facere potest. Vnde si citra mandatum tuum aliquid erga rem tuam filius tuus gessit, nec hoc ratum habuisti, nihil tibi oberit, *l. nec filius, C. de reb. cred. & iuretur.* In re autem peculiari 42.
filiusfamilias iusiurandum deferre potest, si liberam peculij administrationem habeat. Et quidem non solum reo, verumetiam actori iusiurandum rectè defert, ex eoq; iureiurando datur in patrem actio de peculio, in quo omnes consenserunt, *d. l quidam, h. t. n. d l. 5. § si filiusfamilias, de peculio.* Et hæc de tertio capite huius tit. nostri.

CAPVT

CAPVT QVARTVM, quibus iusiurandum deferatur.

1. *Iusiurandum omnibus rectè defertur, nulla habita ratione sexus aut ætatis: Ideoq; & pupillo.*
2. *Veteres per Iouem iurârunt.*
3. *Iusiurandum non solum libero homini, sed etiam seruo deferri potest.*
4. *Filiofamilias quoq; iusiurandum rectè defertur.*
5. *Dissoluuntur argumenta, quibus probari videtur, pupillo iuramentum deferri non posse, & ibi argumentum primum.*
6. *Argumentum secundum.*
7. *Argumentum tertium.*
8. *Argumentum aliud, quo probatur, non omnibus deferri posse iusiurandum, eiusq; dissolutio.*
9. *Heredi iuramentum non rectè defertur, quemadmodum nec tutori, nec curatori.*
10. *Vtrum procurator ad iusiurandum admitti debeat, si iurare paratus sit.*

11. Ex-

11. *Explicatur l. 9. §. Iusiurandum, ff. de iureiur. cum aliquot alijs iuris locis.*

12. *Defensor iusiurandum praestare volens, an admittendus sit.*

13. *Explicatur l. cum clericis, 25. C. de episc. & cleric.*

14. *Iusiurandum non solum praesentibus litigatoribus, sed etiam absentibus deferri potest, & tunc à iudice tempus praefiniendum est, quo absentes ad iurandum se sistant.*

15. *Quaedam sunt personae, quae non coguntur in iudicio iurare, sed ad eas demum mittitur, vt iurent. Ibidemq; quaenam sint illae personae declaratur.*

16. *Senectutis honor apud Romanos maximus fuit.*

17. *Iusiurandum etiam rectè praestatur, altera parte absente.*

18. *Iudicis arbitrio relinquitur, cuius sumptibus iusiurandum absenti transmitti debeat.*

19. *Quando iudici tam ab actore quàm reo liberum relinquitur cui velit deferre iusiurandum, tunc iudex arbitrabitur, ab vtraq; parte sumptus dependi oportere.*

Postu-

1. POstulat nunc ordinis ratio, vt videamus, quibus iusiurandum deferri posſit. Rectè autem iusiurandum omnibus defertur, nulla habita ratione ſexus ætatiſuè. Sic enim à Paulo ICto traditum eſt *in l. qui iuraſſe, h. t. n.* Qui iuraſſe, inquit Paulus, dicitur, nihil refert, cuius ſexus ætatiſuè ſit, omni enim modo cuſtodiri debet iuſiurandum, aduerſus eum qui contentus eo cũ deferret fuit, quamuis pupillus non videatur peierare, quia ſciens fallere non videatur. Poſtremis his verbis occurrit ICtus tacitæ obiectioni. Obijci poterat pupillum non debere iurare, quia facilè peierare poteſt. Ad hanc obiectionem reſpondet ICtus, pupillum non videri peierare, quia ſciens fallere non poteſt. His verbis, quia ſciens fallere non videtur, reſpicit ICtus ad antiquam formulam iuriſiurandi, *quam refert Sextus Feſtus Pompeius lib. 10.* Formula hæc eſt: Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua vrbe arceque bonis eijciat, vt ego hunc lapidem. Et ita legendum eſt apud Couarru. *in relectio. c. quamuis, de pact. in 6. in prima parte relectionis, §. 1. nu. 3.* ibi pro his verbis tum

me

me diespiter, corruptè legitur, qui me despicit. Veteres namque per Iouem iurare solebant, & Iupiter ab illis dicebatur Diespiter, quod diei & lucis pater esset, *auctore Gellio lib. 5. c. 12.* Ac tenebant iurantes, manu lapidem siue silicem. Inde Iouem lapidem iurare apud Gellium *lib. 1. c. 21.* Ad hanc formulam iuramenti respicit quoque Cicero *lib. 7. epistola. famil. epist. 1.* cum inquit, Is cum iurare cœpisset, vox eum defecit in illo loco, si sciens fallo: Pupillo igitur iusiurandum deferri quoque potest, nec est periculum, ne peieret, propterea quod sciens fallere non videtur. Et si pupillus, delato sibi ab aduersario iureiurando, iurauerit se non debere, ratum est iusiurandum, *d. l. qui iurasse, h. t. n.* Quinimo iusiurandum non tantum libero homini, sed etiam seruo deferri potest. Et si seruus ad delationem iurisiurandi iurauerit, dominum dare non oportere, valet iusiurandum, & exceptio domino indulgenda est, hoc est, si dominus, posteaquam seruus iurauit, dominum dare non oportere, conueniatur, domino exceptio dabitur, sibique aduersarius imputabit, qui seruo detulit iusiurandum. *l. si seruus iurauerit,*

2. (margin, beside line 2)
3. (margin, beside "Quinimo iusiurandum")

rit, h.t.n. Sic si seruus delato, vel relato ei iureiurando iurauit, rem domini esse, vel ei dari oporere, dabitur domino actio propter religionem & conuentionem, vt Vlpianus loquitur, *in l. sed etsi seruus, h. t.n.* Et quod de seruo dicimus, idem multo magis dicendum est de filiofamilias.
4. Etenim filiofamilias iusiurandum deferri potest, & religio, hoc est, iusiurandum filij, prodest patri. *l. multo magis, h.t.n.* Relinquitur igitur omnibus iusiurandum deferri posse cuiuscunq; sint sexus, ætatis,
5. aut conditionis. Non obstat *l. iusiurandum & ad pecunias, §. pupillo, h.t. n.* vbi dicitur, pupillo non deferri iusiurandum. Hoc enim ad pupillum inuitum referendum est. Et pupillo inuito iusiurandum non defertur, nec inuitus pupillus iusiurandum delatum suscipit. Volenti pupillo iusiurandum deferri potest, & si pupillus iusiurandum delatum volens susceperit ac iurauerit, omnimodo custodiri debet
6. iusiurandum. *d.l. qui iurasse, h.t.n.* Rursus non obstat *l. videamus, in princ. de in litem iuran.* ibi dicitur pupillum si impubes est, iurare non posse. Hoc enim de iureiurando in litem, vt titulus ipse indicat, accipiendum est, & pupillus in litem

iurare non potest. At pupillus iusiurandum quod litem finit, sibi delatum rectè præstat; Ratio differentiæ in titulo sequenti explicabitur. Non obstat quoque 7
Authentica, sacramenta puberum, C. si aduersus venditio. qua desumpta est ex c. hac edictali, §. fin. de pace tenenda inter subditos, in vsibus feudorum. Licet enim ibi dicatur, sacramenta puberum inuiolabiliter custodiri debere, ex quo videbatur dicendum, impuberum sacramentum siue iusiurandum non debere custodiri: tamen authentica illa non loquitur de iureiurãdo litis decisiuo, sed de iureiurando quo contractus confirmatur. Et si impubes contractum iureiurando firmauerit, læsus restitutionẽ in integrum potest petere. Pubes non item, atq; ita iusiurandum impuberis non custoditur. Secus verò est, quando impuberi in lite iusiurandum defertur, & pupillus iurat, se non debere, hoc casu iusiurandum impuberis siue pupilli inuiolabiliter custoditur. *d.l. qui iurasse, h.t.n.* Non obstat item *d.l. iusiurandum & ad pecunias, §. procurator, hoc tit.n.* 8
vbi dicitur, quod procurator, itemque defensor non compellatur iurare: Igitur non omnibus iuramentum deferri

potest. Respondendum namque est ad hunc modum. Quod diximus omnibus deferri iuramentum posse, hoc de omnibus illis intelligendum est, qui scientiam rei vel facti, de quo agitur, habent. Et qui scientiam rei, de qua agitur, non habet, itemq; ei qui scientiam facti, quo de agitur, non habet, iuramentum non rectè defertur. Graue enim est, ignorantem aliquem & inuitum sub alieni compendij emolumento, periurium anceps subire. *l. videamus, §. 1. de in litem iurан.* Ac iniquum est, de alieno facto alium iurare, *vt dicitur in l. Marcellus, §. iurare autem, de actio. rer. amota.* & de sua conscientia quisque satisfacere debet. *l. 5. §. sicubi, C. de ijs qui ad Eccles. confug.* Hinc sequitur procuratori iusiurandum non rectè deferri, & procuratorem non compelli iusiurandum delatum suscipere & iurare. Fieri namque potest, vt procurator scientiam rei aut facti, de quo agitur, non habeat. *d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. procurator, h. t. n.* Et quod de procuratore dicimus, ad defensorem quoque trahendum est. Nam & defensor ignorantiam rei aut facti de quo agitur, potest habere, & ob id iuramentum defensori non

rectè

rectè defertur, aut si delatum fuerit iuramentum, defensor iurare non compellitur, *d.l.iusiurandum & ad pecunias, §. procurator, h. t.n.* Sic heredi iuramentum non 9.
rectè defertur, nec cogitur heres iuramentum delatum suscipere. *d.l. Marcellus §. penult. de actio. rerum amota.* propterea quod heres qui in alterius locum succedit, iustam habet causam ignorantiæ, an id quod petitur, debeatur. *l.qui in alterius, de reg iur.* Sic Paulus *in 2.sententia. tit.1.* inquit, heredi eius, cum quo contractum est, iusiurandum deferri non potest, quoniam contractum ignorare potest. Ob eandem causam tutores quoque, & curatores in rebus pupillorum, vel adolescentum iurare non coguntur. *l.videamus, de in litem iuran.* Sed in dubium vocari 10.
potest, vtrum procurator ad iurandum admitti debeat, si iurare paratus sit. Et quidem hîc ita distinguendum videtur, aut actor, qui iusiurandum defert, contentus est, vt reus per procuratorem se defendens, per procuratorem iuret, & hoc casu volens procurator ad iurandũ admittitur: Aut verò actor, qui iusiurandum defert reo, non admittit, vt reus per procuratorem suum iuret, sed omnino

vult, vt reus ipse iusiurandum suscipiat & præstet: Et hoc casu procurator iurare volens, non auditur. Et hæc distinctio est de mente & sententia Bartoli, *in l. qui bona, §. si alieno, nu. 14. & 15. de damno infecto*, ibi Bartolus formalibus verbis ita loquitur. Si ponas, quod aduersarius non vult stare dicto procuratoris, sed vult, quod dominus respondeat, tunc dominus cogetur iurare, & respondere per se. Et se-
11. cundum iam dictam Bartoli distinctionẽ de procuratore, qui volens iurauit, eo qui iusiurandum detulit, non refragante, accipiemus, quod *in l. nam posteaquam, §. iusiurandum, h. t. n.* traditum est, iusiurandum procuratoris ei ab aduersario delatum, prodesse domino, exceptionemque domino parere. Sic è contrario, quod Imperator Iustinianus *in l. generaliter, §. his de præsentibus, C. de reb. credit. & iureiur.* tradidit, lite per procuratorem ventilata, ipsam principalem personam, cui sacramentum illatum est, ad iudicem venire, & iusiurandum præstare debere, dicemus procedere illo casu, quo is, qui iusiurandum detulit, omnino voluit vt iusiurandum à reo præstaretur. Ad eundem modum accipiemus quod *in*

Nouel.

Nouel.124.de litigat. traditum est, absentem litigatorem, per procuratorem litigantem, in prouincia in qua degit, iuramentum præstare debere. Sic quod dicitur ad personas egregias, eosq; qui valetudine impediuntur domum mitti ad iurandum. *l.ad personas, h.t.n.* ita intelligi debet, vt per procuratorem etiam volentem, ad iurandum admitti non possint, si is qui detulit iusiurandum, velit omninò, vt persona egregia vel valetudine impedita iuret. Et superior Bartoli 12.
distinctio etiam in defensore procedit. Nam & defensor inuitus iurare non compellitur, vt supra dictum est. Volens ad iurandum admittetur, si actor iuramento defensoris contentus fuerit. Sic enim traditum est *in l.vlt. §.penult.h.t. n.* Si actore deferente, defensor absentis vel præsentis iurauit, eum quem defendit dare non oportere, exceptio iurisiurandi ei, cuius nomine iuratum fuerit, dari debebit. Postremò ei quod diximus, omnibus 13.
iuramentum deferri posse, videtur obstare *l. cum clericis, C. de episco. & cleric.* in qua Martianus Imperator refert, Ecclesiasticis regulis & canone à beatissimis episcopis instituto, clericos iurare

prohiberi. Sed respondemus, à superiori regula, clericos esse excipiendos, *d. l. cum clericis, C. de episcop. & cleric.* Ea lex ad clericos Constantinopolitanos pertinet, vt ex ipsius legis verbis quæ ad clericos Constantinopolitanos directa sunt, videre licet. Postea Henricus Imperator idem de omnibus omnium ciuitatum clericis constituit, vt intelligitur ex constitutione eius relata à Pontifice *in c. 1. extra de iureiur. & notauit Cuiacius in Nouel. 49. circa fin.* Clerici ergo non iurant, corporaliter scilicet, *vt loquitur l. 1. C. si aduersus venditio.* At in instrumento iurare non prohibentur de quo genere iurisiurandi loquitur *l. 3. C. si minor se maio. dixe. l. vlt. stellionatus.* Sic episcopus iurare intelligitur, propositis sanctis euangelijs. *Nouel. 123. & notauit Contius in authen. sed iudex C. de episco. & cleri. ad quam authen. Irnerius malè adiecit hæc verba, non tamen iurent, vt*
14 *Contius in d. loco monuit.* Nunc superioribus breuiter addendum est, iuramentum non tantum præsentibus litigatoribus, verumetiam absentibus deferri posse. Et absentibus delato iureiurando, iudex certum præfiniet tempus, intra quod absentes in iudicium venire & iusiurandum

præ-

præſtare poſſunt. Nec enim hoc iure abſentes per procuratorem iurant, eo maximè qui iuſiurãdum detulit, in iuſiurandum procuratoris non conſentiente, vt ſupra dictum eſt. Ita à Iuſtiniano traditum eſt, *in l. generaliter*, §. *his de præſentibus. C. de reb. cred. & iureiur.* Ibi inquit ſi perſona præſens non inueniatur, cui ſacramentum illatum eſt, neceſſe eſt, ipſam principalem perſonam, datis certis inducijs ad iudicem venire. Per certas inducias Iuſtinianus Imperator intelligit, certum tempus. Et iudex abſenti certas inducias, hoc eſt, certum tempus dabit, pro locorum ſcilicet interuallo, intra quod abſens commodè in iudicium venire poſſit. Sed hoc non eſt perpetuum, ac multum poteſt hac in re auctoritas, & exiſtimatio iudicis. Etenim iudice exiſtimante, is qui in prouincia degit, ad iudicem non veniet iuriſiurandi præſtandi cauſa, ſed in prouincia iuramentum dabit, id eſt præſtabit, *vt Iuſtinianus ſignificat, in d. l. generaliter*, §. *his de præſentibus, C. de reb. cred. & iureiur. in illis verbis, vel iudex exiſtimauerit.*

15. Quinimo ſunt perſonæ quædam, quæ in iudicium venire non coguntur, ſed ad eas domum mittitur, vt iurent. Ex harum

numero ſunt primùm perſonæ egregiæ,h. e.poſitæ in aliqua dignitate, vt Cardinales. *Roma.ſingula.169.* Epiſcopi.*gl.in l. ad perſonas.h.t.n. Rom.d.ſingula.169.* doctores,*gl.in d. l.ad perſonas,& ibi communiter Dd.* Aduocati, *Bart.in l.1.C.de aduo.di.iud.* Præsbyteri, *Speculat.in tit.de teſte*,& alij quos iudex inter perſonas egregias referre voluerit. *Menoch.de arbit.iud. quæſtio. lib.2.centu.1.caſu 70.* Deinde ex illarum numero ſunt, qui valetudine impediuntur. Et de egregijs perſonis, & valetudinarijs, hoc nominatim traditum eſt,*in d.l.ad perſonas, h.t.n.* Ea lex eſt Pauli ICti, ac inquit Paulus, ad perſonas egregias, eoſq; qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iurandum. Et quamuis nonnulli ex interpretibus noſtris exiſtimauerint, Paulum ita exaudiendum eſſe, vt in voluntate iudicis ſit poſitum,vtrum ad perſonas egregias,& valetudinarios domum velit mittere vt iurent, an verò egregias perſonas, & valetudinarios in iudicium vocare velit ad iurandum,*quemad. à Maria Riminaldo, & alijs in d l.ad perſonas,h. t.n. annotatum eſt*:tamen ſententia illa à verbis Pauli aliena eſt, & cogitur iudex ad egregias perſonas & valetudinarios domum mittere,

tere, vt iurent, ſicuti ex verbo oportet, quo Paulus vſus eſt.quod neceſsitatem ſignificat,ſatis intelligitur,atq; ita quoque communiter doctoribꝰ noſtris viſum eſt. Hoc amplius ex numero illorum,ad quos domũ mitti oportet ad iurandũ,ſunt etiã ſenes, vt Accurſius & poſt eum alij notarunt,*in d.l. ad perſonas, ſuper verbo,egregias h. t.n.* Ac ſemper ſenectus in ciuitate Roma- 16.
na venerabilis fuit,& maiores noſtri eundem honorem ſenibus,quẽ magiſtratibus tribuerunt. *l.ſemper, de iure immunita.* Imò apud antiquiſsimos Romanorum, ætati præſtantior honos tribuebatur,quàm generi aut pecuniæ , maioresq; natu à minoribus colebantur ad Deum propè & parentum vicem *vt præclarè Gellius docet lib. 2.c.15.* Perſonæ igitur egregiæ , valetudinarij & ſenes,in iudicium venire iurandi cauſa non compelluntur, ſed in domibus iurant , vt Iuſtinianus Imperator loquitur,*in l.generaliter, §. penult.C.de reb. cred.& iureiur.* Et quidam iurant, eo qui iuſiurandum detulit præſente vel procuratore ipſius, vel etiam iurant in abſentia partis aduerſæ,ſicuti fit cum in prouincia eſt,cui iuſiurandum delatum eſt,& iudex exiſtimat iuſiurandum in prouincia præ-

ſtari

17. ſtari debere, Rectè enim iuſiurandum etiam μονομερῶς præſtatur, hoc eſt, altera parte abſente. Hoc Iuſtinianus vult *in d. l. generaliter, §. licentia, C. de reb. cred. & iuretur.* cum inquit, licentiam dari parti alteri, vel per ſe, vel procuratorem ſuper hoc ordinatum, adeſſe his, quæ de iuramento aguntur, vel ſi neutrum facere maluerit, & ex vna parte iuramentum debere præſtari. Nota quod Iuſtinianus ait, iuramentum ex vna parte præſtari. His verbis ſignificatur, iuſiurandum ab eo qui abeſt, rectè præſtari μονομερῶς ſiue parte altera abſente. Sic cauſa appellationis introduci poteſt μονομερῶς ſiue vna tantũ parte præſente, *l. vlt. §. illud, C. de tempo. appellatio. l. vlt. ad Trebellia.* Et teſtium productio fieri poteſt μονομερῶς quando altera pars per contumaciam abeſt. *l. penult. C. de teſtib.* aliàs non, quod in omnibus actis iudiciorum ſimiliter locum habet, *vt à Iacobo Cu-*
18. *iacio annotatum eſt, in Nouell. conſtitut. 90.* Ad extremum notandum eſt, iudicis arbitrio relinqui, cuius ſumptibus & expenſis, iuſiurandum abſenti tranſmitti debeat. Sic enim Iuſtinianus ait, expenſis propter huiuſmodi cauſam præſtandis, officio iudicis

dicis trutinandis, an ab vtraq; parte, an ab altera eas dependi oporteat, *in d.l. generaliter, §.expensis,C.de reb.cred. & iureiur.* Et arbitrabitur iudex, sumptus absentem sustinere debere, si absens per procuratorem suum petierit, vt aduersarius sibi iusiurandum deferret, idq; aduersarius fecerit. Illius enim sumptibus explicandus est actus, qui explicari illum petijt, *l.cum sape,C.de erogat.milita.anno.* Ibi dicitur custodiam alicui adhibitam illius impensis esse alendam, qui eam adhiberi petijt. Et hæc procedunt etiam in egregia persona, quæ in iudicium venire non compellitur. Nec enim dignitas, & nobilitas personæ, alteri detrimento esse debet, *Capella Tolosana,quæstio. 100.* Contra, si præsens offerat absenti iuramentum, & absens iuramentum acceptet, sumptus & expensas iudex offerenti iniunget. Offerens enim iusiurandum, ad suum commodum, & ad suam vtilitatem iusiurandum petit. *Bart.in l. si postulauerit, in princ.ad l. Iuliam,de adulter.* vbi in simili docet, si vnus litigantium petat causam committi consultori, faciendam esse commissionem petentis sumptibus, cũ is commissioni causam præbeat. Quod 19.
si a-

si actori & reo placeat, vt iudex alteri eorum, cui volet, iusiurandum deferat, iudex arbitrabitur ab vtraq; parte sumptus dependi debere, *ut in simili a Bartolo traditum est, in d. l. si postulauerit, in princ. nu 2. de adult.* Vterq; enim litigantium ad suum commodum, litem finiri desiderat, *arg. ita eleganter & docte hoc explicat Menochius lib. 2. de arbit. iud. quæstio. cent. 3. casu 228.* Et hæc de quarto capite.

CAPVT QVINTVM,

super quibus rebus, & in quibus actionibus liceat iusiurandum deferre.

1. *De omni re iusiurandum deferri potest, in quacunq; item actione.*
2. *Explicatur l. ait prætor. 3 ff. de iureiur. Ibidem quando in personam agatur.*
3. *Quando in rem agatur,*
4. *Quando in factum agatur.*
5. *Quare actio præscriptis verbis, dicatur actio in factum.*
6. *Alia ciuilis in factum actio est, qua non est præscriptis verbis.*

7. Quan-

7. *Quando pœnalis actio, & aduersus quos competat.*
8. *Interdictum & actio in quibus conueniant. Et quid sit ex interdicto agere.*
9. *Quando de conditione personæ iusiurandum deferri dicatur.*
10. *Referuntur quædam facti species, quibus explicatur id, quod Vlpianus dicit, iurari posse, an prægnans sit mulier, vel non sit.*
11. *Punitur à prætore mulier, quæ per calumniam ventris nomine in possessione fuit. Ibidem quid sit per calumniam in possessione esse.*
12. *An in popularibus actionibus rectè deferatur iusiurandum, & populares actiones quænam sint.*
13. *Iusiurandum in popularibus actionibus delatum & præstitum, non solum actori, verum etiam omnibus ex populo prodesse. Et quatenus hoc procedat.*
14. *In actionibus publicis criminalibus, an iusiurandum deferri posit.*
15. *An in actionibus, quæ per infictationem crescunt, iusiurandum rectè deferatur.*
16. *Actio depositi, infitiando crescit certis casibus.*
17. *Actio legatorum ad pias causas, infitiando quoq; crescit.*
18. *Is qui iurauit ex actione quæ infitiando cre-*

ſcit, aliquid ſibi deberi, ſimpli perſecutionem ſibi acquirit, non dupli: ibiq; explicatur l. eum qui, 31 ff. de iureiur.

19. *Omiſſo iureiurando actio dupli integra manet.*

20. *Iuſiurandum in famoſis actionibus an deferri poſſit. Et famoſa iudicia quænam ſint.*

21. *Iuſiurandum non ſolum ſuper rebus corporalibus & ſingularibus, verumetiam ſuper rebus incorporalibus, & vniuerſalibus rectè defertur.*

22. *Abuti re aliqua quid ſit.*

23. *Vtrum in cauſis matrimonialibus iuriſiurando locus ſit.*

VLpianus *in l. ait prætor, 7. h. tit. noſtro.* tradit, prætorem in edicto, quod de iureiurando concepit, inter reliqua ita edixiſſe. Eius rei de qua iuſiurandum delatum fuerit, neq; in ipſum, neque in eum ad quem ea res pertinet, a-
1. ctionem dabo. Ex his edicti prætoris verbis intelligimus, prætorem cenſuiſſe de omni re iuſiurandum deferri poſſe. Verba enim edicti prætoris ſunt generalia, nec ſe ad res certas referunt, ſed indefinitè

nitè loquuntur de re, de qua iusiurandum delatum erit. Et Vlpianus edictum prætoris explicans, *in l. ait prætor, 3. h. t. n.* docet, in quacunq; actione iusiurandum deferri posse. Sic namque inquit: Quacunq; actione quis conueniatur, si iurauerit, proficiet ei iusiurandum. Nec eo contentus Vlpianus est, sed vt dilucidiùs explicet super omni negotio iusiurandum rectè deferri, adijcit sequentia verba, siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue pœnali actione vel quauis alia agatur, siue de interdicto. Sed etsi de conditione personæ fuerit iuratum, prætor iusiurandum tuebitur: vtputa, detuli iusiurandum, & iurasti in potestate mea te non esse, tuendum erit iusiurandum. Vnde Marcellus scribit, etiam de eo iurari posse, an prægnans sit mulier, vel non sit, & iurijurando standum: denique ait, si de possessione erat quæstio seruari oportere, si fortè quasi prægnans ire in possessionem volebat, & cum ei contradiceretur, vel ipsa iurauit se prægnantem, vel contra eam iuratum est. Nam si ipsa, ibit in possessionem sine metu, si contra eam, non ibit, quamuis fuerit verè prægnans, proderitq;, inquit

Marcellus, mulieri iuranti, iusiurandum, ne conueniatur, quasi calumniæ causa ventris nomine fuerit in possessione neuè vim patiatur in possessione. Hactenus Vlpiani verba, quibus luculentissimè ostenditur, de omni re iusiurandum rectè
2. deferri. Sed verba Vlpiani paululum excutiamus. Ait Vlpianus, siue in personam agatur. In personam agitur, quando agitur ex contractu vel quasi, ad hoc, vt aduersarius nobis aliquid det vel faciat, *§.1. instit. de actio. l. actionũ, §. in personam, de obligat. & actio.* Vt si controuersia sit inter Titium & Sempronium de pecunia credita, & Titius contendat sibi à Sempronio pecuniam creditam, puta centũ, deberi, hîc in personam agitur. Et Titius potest Sempronio iusiurandum deferre, vt iuret, se dare non oportere, & si Sempronius iurauerit, proficiet ei iusiurandum. Sic è contrario Sempronius potest iusiurandum Titio deferre, vt Titius iuret, sibi dari oportere, & si Titius iurauerit, proficiet ei iusiurandum, *l. quoties, hoc tit. nost.* Ibi Paulus ICtus hoc iusiurandum, cum vel Titius iurat, sibi dari oportere, vel Sempronius iurat, se dare non oportere, appellat iusiurandum propter

pter rem, idq; docet, nemini remitti, nec parenti, nec patrono. Ita enim inquit, quoties propter rem iuratur, nec parenti, nec patrono remittitur iusiurandum. 3.
Ait Vlpianus, siue in rem agatur. In rem agitur, quando actor intendit, rem quam aduersarius possidet, suam esse, ideoque petit aduersarium condemnari ad restitutionem, *d. §. 1. Instit. de actio. d. l. actionum; de obligatio. & actio.* Vt si Sempronius possideat fundumTusculanum, & Titius affirmet, fundum Tusculanum suum esse eumq; petat à Sempronio sibi restitui, in rem agitur. Et si vel Sempronius iurauerit, Titio iusiurandum deferente, fundum Tusculanum suum esse, vel Titius iurauit, Sempronio iusiurandum deferente, fundum Tusculanum esse suum, proficiet iuranti iusiurandum, *l. sed etsi possessori, h. t. n,* in qua Vlpianus docet, diligenter obseruandum esse, quibus verbis possessor fundi Tusculani, cum iuraret, vsus sit. Nam si iurauit rē, hoc est, fundum Tusculanum petitoris non esse quamdiu quidē possidet, aduersus eum, qui detulit iusiurandum, si petat, exceptione iurisiurandi vtetur. Si verò amiserit possessionem,

actionem non habebit, ne quidem si is posſideat, qui ei iuſiurandum detulit, non enim rem ſuam eſſe iurauit, ſed petitoris non eſſe. Quod ſi poſſeſſor fundi Tuſculani, deferente iuſiurandum petitore, iurauit, rem ſiue fundum Tuſculanum ſuum eſſe, conſequenter dicemus, amiſſa quoque poſſeſsione, ſi is qui detulit iuſiurandum, nactus ſit poſſeſsioné, actionem in factum poſſeſſori qui iurauit dandam; *d.l.ſed etſi poſſeſſori, in princ. h. t.n.* Ait Vlpianus, ſiue in factum agatur.

4\. In factum agitur, quando agitur ex contractu incerto, ſiue vt vulgò loquuntur innominato, do ſcilicet, vt des, vel do vt facias, vel facio vt facias, ad hoc, vt aduerſarius condemnetur mihi, quanti mea intereſt, illud de quo conuenit, accipere vel fieri. Vt ſi conuenit inter me & aduerſarium, vt ego darem togam & tunicam acciperem, egoque togam dedi, & aduerſarius non vult dare tunicam. Vel ſi conuenit inter me & aduerſarium, vt ego togam darem, & aduerſarius tabulam mihi pingeret, egoque togam dedi, aduerſarius tamen non velit tabulam pingere. Vel ſi conuenit inter me & aduerſarium, vt ego in ipſius ſolo ædificarem.

rem, & ipse in meo, egoq; passus sim, ad-
uersarium in meo solo ædificare, aduer-
sarius autem non velit pati, me in suo so-
lo ædificare, his tribus casibus in factum
agitur, hoc est, agitur actione præscriptis
verbis, quæ ex do vt des, do vt facias, &
facio vt facias, competit, non ex facio vt
des. *l. naturalis, de præscriptis verbis.* Actio 5.
præscriptis verbis, dicitur in factum a-
ctio, quasi in factum composita, *vt dicitur
in Institutis tit. de exceptio.* Vel quasi in fa-
ctum concepta, *l. quod de bonis, ad l. Falcid.*
Vel quasi in factum comparata, *l. 4. § si
à Titio, de doli exceptio. sicuti in tit. de pact. c.
vlt. latius me explicasse memini.* Si ergo inter
Titium & Sempronium sit controuersia,
& Titius agat ex contractu do vt des, &
affirmet, se togam dedisse, Semproniū au-
tem non dedisse tunicam, ideoq; Sempro-
nium debere dare, quanti ipsius interest,
tunicam accepisse. Sempronius autē ne-
get, se tunicam promisisse, vt togam ac-
ciperet, potest Titius Sempronio iusiu-
randum deferre, vt iuret, se tunicam non
debere aut promisisse, vt togam accipe-
ret: Et si Sempronius iurauerit, profici-
et ei iusiurandum. Sic è contrario quoq;
Sempronius potest Titio iusiurandum

prohiberi. Sed respondemus, à superiori regula, clericos esse excipiendos, *d. l. cum clericis, C. de episcop. & cleric.* Ea lex ad clericos Constantinopolitanos pertinet, vt ex ipsius legis verbis quæ ad clericos Constantinopolitanos directa sunt, videre licet. Postea Henricus Imperator idem de omnibus omnium ciuitatum clericis constituit, vt intelligitur ex constitutione eius relata à Pontifice *in c. 1. extra de iureiur. & notauit Cuiacius in Nouel. 49. circa fin.* Clerici ergo non iurant, corporaliter scilicet, *vt loquitur l. 1. C. si aduersus venditio.* At in instrumento iurare non prohibentur de quo genere iurisiurandi loquitur *l. 3. C. si minor se maio. dixe. l. vlt. stellionatus.* Sic episcopus iurare intelligitur, propositis sanctis euangelijs. *Nouel. 123. & notauit Contius in authen. sed iudex C. de episco. & cleri. ad quam authen. Irnerius malè adiecit hæc verba, non tamen iurent, vt*
14 *Contius in d. loco monuit.* Nunc superioribus breuiter addendum est, iuramentum non tantum præsentibus litigatoribus, verumetiam absentibus deferri posse. Et absentibus delato iureiurando, iudex certum præfiniet tempus, intra quod absentes in iudicium venire & iusiurandum

præ-

præstare possunt. Nec enim hoc iure absentes per procuratorem iurant, eo maximè qui iusiurãdum detulit, in iusiurandum procuratoris non consentiente, vt supra dictum est. Ita à Iustiniano traditum est, *in l. generaliter, §. his de præsentibus, C. de reb. cred. & iuretur.* Ibi inquit si persona præsens non inueniatur, cui sacramentum illatum est, necesse est, ipsam principalem personam, datis certis inducijs ad iudicem venire. Per certas inducias Iustinianus Imperator intelligit, certum tempus. Et iudex absenti certas inducias, hoc est, certum tempus dabit, pro locorum scilicet interuallo, intra quod absens commodè in iudicium venire possit. Sed hoc non est perpetuum, ac multum potest hac in re auctoritas, & existimatio iudicis. Etenim iudice existimante, is qui in prouincia degit, ad iudicem non veniet iurisiurandi præstandi causa, sed in prouincia iuramentum dabit, id est præstabit, *vt Iustinianus significat, in d. l. generaliter, §. his de præsentibus, C. de reb. cred. & iuretur. in illis verbis, vel iudex existimauerit.*

Quinimo sunt personæ quædam, quæ in 15. iudicium venire non coguntur, sed ad eas domum mittitur, vt iurent. Ex harum

numero sunt primùm personæ egregiæ, h. e. positæ in aliqua dignitate, vt Cardinales. *Roma. singula. 169.* Episcopi, *gl. in l. ad personas. h. t. n. Rom. d. singula. 169.* doctores, *gl. in d. l. ad personas, & ibi communiter Dd.* Aduocati, *Bart. in l. 1. C. de aduo. di. iud.* Præsbyteri, *Speculat. in tit. de teste*, & alij quos iudex inter personas egregias referre voluerit. *Menoch. de arbit. iud. quæstio. lib. 2. centu. 1. casu 70.* Deinde ex illarum numero sunt, qui valetudine impediuntur. Et de egregijs personis, & valetudinarijs, hoc nominatim traditum est, *in d. l. ad personas, h. t. n.* Ea lex est Pauli ICti, ac inquit Paulus, ad personas egregias, eosq; qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iurandum. Et quamuis nonnulli ex interpretibus nostris existimauerint, Paulum ita exaudiendum esse, vt in voluntate iudicis sit positum, vtrum ad personas egregias, & valetudinarios domum velit mittere vt iurent, an verò egregias personas, & valetudinarios in iudicium vocare velit ad iurandum, *quemad. à Maria Riminaldo, & alijs in d. l. ad personas, h. t. n. annotatum est*: tamen sententia illa à verbis Pauli aliena est, & cogitur iudex ad egregias personas & valetudinarios domum mit-

tere, vt iurent, ſicuti ex verbo oportet, quo Paulus vſus eſt, quod neceſsitatem ſignificat, ſatis intelligitur, atq; ita quoque communiter doctoribꝰ noſtris viſum eſt. Hoc amplius ex numero illorum, ad quos domũ mitti oportet ad iurandũ, ſunt etiã ſenes, vt Accurſius & poſt eum alij notarunt, *in d. l. ad perſonas, ſuper verbo, egregias h. t. n.* Ac ſemper ſenectus in ciuitate Romana venerabilis fuit, & maiores noſtri eundem honorem ſenibus, quẽ magiſtratibus tribuerunt. *l. ſemper, de iure immunita.* Imò apud antiquiſsimos Romanorum, ætati præſtantior honos tribuebatur, quàm generi aut pecuniæ, maioresq; natu à minoribus colebantur ad Deum propè & parentum vicem *vt præclarè Gellius docet lib. 2. c. 15.* Perſonæ igitur egregiæ, valetudinarij & ſenes, in iudicium venire iurandi cauſa non compelluntur, ſed in domibus iurant, vt Iuſtinianus Imperator loquitur, *in l. generaliter, §. penult. C. de reb. cred. & iureiur.* Et quidam iurant, eo qui iuſiurandum detulit præſente vel procuratore ipſius, vel etiam iurant in abſentia partis aduerſæ, ſicuti fit cum in prouincia eſt, cui iuſiurandum delatum eſt, & iudex exiſtimat iuſiurandum in prouincia præſtari 16.

ſtari

17 stari debere, Rectè enim iusiurandum etiam *μονομερῶς* præstatur, hoc est, altera parte absente. Hoc Iustinianus vult *in d. l. generaliter, §. licentia, C. de reb. cred. & iureiur.* cum inquit, licentiam dari parti alteri, vel per se, vel procuratorem super hoc ordinatum, adesse his, quæ de iuramento aguntur, vel si neutrum facere maluerit, & ex vna parte iuramentum debere præstari. Nota quod Iustinianus ait, iuramentum ex vna parte præstari. His verbis significatur, iusiurandum ab eo qui abest, rectè præstari *μονομερῶς* siue parte altera absente. Sic causa appellationis introduci potest *μονομερῶς* siue vna tantū parte præsente, *l. vlt. §. illud, C. de tempo. appellatio. l. vlt. ad Trebellia.* Et testium productio fieri potest *μονομερῶς* quando altera pars per contumaciam abest. *l. penult. C. de testib.* aliàs non, quod in omnibus actis iudiciorum similiter locum habet, *vt à Iacobo Cu-*
18 *iacio annotatum est, in Nouell. constitut. 90.* Ad extremum notandum est, iudicis arbitrio relinqui, cuius sumptibus & expensis, iusiurandum absenti transmitti debeat. Sic enim Iustinianus ait, expensis propter huiusmodi causam præstandis, officio iudicis

dicis

dicis trutinandis, an ab vtraq; parte, an ab altera eas dependi oporteat, *in d. l. generaliter, §. expensis, C. de reb. cred. & iureiur.* Et arbitrabitur iudex, sumptus absentem sustinere debere, si absens per procuratorem suum petierit, vt aduersarius sibi iusiurandum deferret, idq; aduersarius fecerit. Illius enim sumptibus explicandus est actus, qui explicari illum petijt, *l. cum sape, C. de erogat. milita. anno.* Ibi dicitur custodiam alicui adhibitam illius impensis esse alendam, qui eam adhiberi petijt. Et hæc procedunt etiam in egregia persona, quæ in iudicium venire non compellitur. Nec enim dignitas, & nobilitas personæ, alteri detrimento esse debet, *Capella Tolosana, quæstio. 100.* Contra, si præsens offerat absenti iuramentum, & absens iuramentum acceptet, sumptus & expensas iudex offerenti iniunget. Offerens enim iusiurandum, ad suum commodum, & ad suam vtilitatem iusiurandum petit. *Bart. in l. si postulauerit, in princ. ad l. Iuliam, de adulter.* vbi in simili docet, si vnus litigantium petat causam committi consultori, faciendam esse commissionem petentis sumptibus, cũ is commissioni causam præbeat. Quod 19.

si a-

si actori & reo placeat, vt iudex alteri eorum, cui volet, iusiurandum deferat, iudex arbitrabitur ab vtraq; parte sumptus dependi debere, *vt in simili a Bartolo traditum est, in d.l. si postulauerit, in princ. nu 2. de adult.* Vterq; enim litigantium ad suum commodum, litem finiri desiderat, *atq; ita eleganter & doctè hac explicat Menochius lib. 2. de arbit. iud. quæstio. cent. 3. casu 228.* Et hæc de quarto capite.

CAPVT QVINTVM,

super quibus rebus, & in quibus actionibus liceat iusiurandum deferre.

1. *De omni re iusiurandum deferri potest, in quacunq; item actione.*
2. *Explicatur l. ait prætor. 3 ff. de iureiur. Ibidem quando in personam agatur.*
3. *Quando in rem agatur.*
4. *Quando in factum agatur.*
5. *Quare actio præscriptis verbis, dicatur actio in factum.*
6. *Alia ciuilis in factum actio est, quæ non est præscriptis verbis.*

7. Quan-

7. *Quando pœnalis actio, & aduersus quos competat.*
8. *Interdictum & actio in quibus conueniant. Et quid sit ex interdicto agere.*
9. *Quando de conditione personæ iusiurandum deferri dicatur.*
10. *Referuntur quædam facti species, quibus explicatur id, quod Vlpianus dicit, iurari posse, an prægnans sit mulier, vel non sit.*
11. *Punitur à prætore mulier, quæ per calumniam ventris nomine in possessione fuit. Ibidem quid sit per calumniam in possessione esse.*
12. *An in popularibus actionibus rectè deferatur iusiurandum, & populares actiones quænam sint.*
13. *Iusiurandum in popularibus actionibus delatum & præstitum, non solum actori, verum etiam omnibus ex populo prodest. Et quatenus hoc procedat.*
14. *In actionibus publicis criminalibus, an iusiurandum deferri possit.*
15. *An in actionibus, quæ per inficiationem crescunt, iusiurandum rectè deferatur.*
16. *Actio depositi, infitiando crescit certis casibus.*
17. *Actio legatorum ad pias causas, infitiando quoq; crescit.*
18. *Is qui iurauit ex actione quæ infitiando cre-*

scit, aliquid sibi deberi, simpli persecutionem sibi acquirit, non dupli: ibiq; explicatur l. eum qui, 30 ff. de iureiur.

19. *Omisso iureiurando actio dupli integra manet.*

20. *Iusiurandum in famosis actionibus an deferri possit. Et famosa iudicia quænam sint.*

21. *Iusiurandum non solum super rebus corporalibus & singularibus, verumetiam super rebus incorporalibus, & uniuersalibus rectè defertur.*

22. *Abuti re aliqua quid sit.*

23. *Utrum in causis matrimonialibus iuriiurando locus sit.*

VLpianus *in l. ait prætor, 7. h. tit. nostro.* tradit, prætorem in edicto, quod de iureiurando concepit, inter reliqua ita edixisse. Eius rei de qua iusiurandum delatum fuerit, neq; in ipsum, neque in eum ad quem ea res pertinet, a-
1. ctionem dabo. Ex his edicti prætoris verbis intelligimus, prætorem censuisse de omni re iusiurandum deferri posse. Verba enim edicti prætoris sunt generalia, nec se ad res certas referunt, sed indefi-

nitè

nitè loquuntur de re, de qua iusiurandum delatum erit. Et Vlpianus edictum prætoris explicans, *in l. ait prætor, 3. h. t. n.* docet, in quacunq; actione iusiurandum deferri posse. Sic namque inquit: Quacunq; actione quis conueniatur, si iurauerit, proficiet ei iusiurandum. Nec eo contentus Vlpianus est, sed vt dilucidius explicet super omni negotio iusiurandum rectè deferri, adijcit sequentia verba, siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue pœnali actione vel quauis alia agatur, siue de interdicto. Sed etsi de conditione personæ fuerit iuratum, prætor iusiurandum tuebitur: vtputa, detuli iusiurandum, & iurasti in potestate mea te non esse, tuendum erit iusiurandum. Vnde Marcellus scribit, etiam de eo iurari posse, an prægnans sit mulier, vel non sit, & iurijurando standum: denique ait, si de possesione erat quæstio seruari oportere, si fortè quasi prægnans ire in possessionem volebat, & cum ei contradiceretur, vel ipsa iurauit se prægnantem, vel contra eam iuratum est. Nam si ipsa, ibit in possessionem sine metu, si contra eam, non ibit, quamuis fuerit verè prægnans, proderitq;, inquit

H Mar-

Marcellus, mulieri iuranti, iusiurandum, ne conueniatur, quasi calumniæ causa ventris nomine fuerit in possessione neuè vim patiatur in possessione. Hactenus Vlpiani verba, quibus luculentissimè ostenditur, de omni re iusiurandum rectè
2. deferri. Sed verba Vlpiani paululum excutiamus. Ait Vlpianus, siue in personam agatur. In personam agitur, quando agitur ex contractu vel quasi, ad hoc, vt aduersarius nobis aliquid det vel faciat, *§.1. instit. de actio. l. actionũ, §. in personam, de oblig. & actio.* Vt si controuersia sit inter Titium & Sempronium de pecunia credita, & Titius contendat sibi à Sempronio pecuniam creditam, puta centũ, deberi, hîc in personam agitur. Et Titius potest Sempronio iusiurandum deferre, vt iuret, se dare non oportere, & si Sempronius iurauerit, proficiet ei iusiurandum. Sic è contrario Sempronius potest iusiurandum Titio deferre, vt Titius iuret, sibi dari oportere, & si Titius iurauerit, proficiet ei iusiurandum, *l. quoties, hoc tit. nost.* Ibi Paulus ICtus hoc iusiurandum, cum vel Titius iurat, sibi dari oportere, vel Sempronius iurat, se dare non oportere, appellat iusiurandum propter

pter rem, idq; docet, nemini remitti, nec parenti, nec patrono. Ita enim inquit, quoties propter rem iuratur, nec parenti, nec patrono remittitur iusiurandum. 3. Ait Vlpianus, siue in rem agatur. In rem agitur, quando actor intendit, rem quam aduersarius posſidet, suam esse, ideoque petit aduersarium condemnari ad restitutionem, *d. §. 1. Instit. de actio. d. l. actionum, de obligatio. & actio.* Vt si Sempronius posſideat fundum Tusculanum, & Titius affirmet, fundum Tusculanum suum esse eumq; petat à Sempronio sibi restitui, in rem agitur. Et si vel Sempronius iurauerit, Titio iusiurandum deferente, fundum Tusculanum suum esse, vel Titius iurauit, Sempronio iusiurandum deferente, fundum Tusculanum esse suum, proficiet iuranti iusiurandum, *l. sed etsi possessori, h. t. n.* in qua Vlpianus docet, diligenter obseruandum esse, quibus verbis possessor fundi Tusculani, cum iuraret, vsus sit. Nam si iurauit rẽ, hoc est, fundum Tusculanum petitoris non esse quamdiu quidẽ posſidet, aduersus eum, qui detulit iusiurandum, si petat, exceptione iurisiurandi vtetur. Si verò amiserit posseſsionem,

rem, & ipse in meo, egoq; passus sim, aduersarium in meo solo ædificare, aduersarius autem non velit pati, me in suo solo ædificare, his tribus casibus in factum agitur, hoc est, agitur actione præscriptis verbis, quæ ex do vt des, do vt facias, & facio vt facias, competit, non ex facio vt des. *l. naturalis, de præscriptis verbis.* Actio 5. præscriptis verbis, dicitur in factum actio, quasi in factum composita, *vt dicitur in Institutis tit. de exceptio.* Vel quasi in factum concepta, *l. quod de bonis, ad l. Falcid.* Vel quasi in factum comparata, *l. 4. §. fi. à Titio, de doli exceptio. sicuti in tit. de pact. c. vlt. latius me explicasse memini.* Si ergo inter Titium & Sempronium sit controuersia, & Titius agat ex contractu do vt des, & affirmet, se togam dedisse, Semproniũ autem non dedisse tunicam, ideoq; Sempronium debere dare, quanti ipsius intereſt, tunicam accepisse. Sempronius autẽ neget, se tunicam promisisse, vt togam acciperet, potest Titius Sempronio iusiurandum deferre, vt iuret, se tunicam non debere aut promisisse, vt togam acciperet: Et si Sempronius iurauerit, proficiet ei iusiurandum. Sic è contrario quoq; Sempronius potest Titio iusiurandum

 de-

deferre, vt Titius iuret sibi tunicam deberi, propterea quod togam dederit, & si Titius iurauerit, poficiet ipsi iusiuran-
6. dum. Est & alia actio in factum, ciuilis scilicet, quæ non est præscriptis verbis, sed de ea alibi commodiùs dicetur, sicuti & de actione in factum prætoria, quæ vel ex edicto datur, vel ex decreto. Has omnes actiones in factum, intelligere videtur Vlpianus, cum in factum actionem nominat. Ait Vlpianus, siue pœnali actio-
7. ne agatur. Pœnali actione agitur aduersum furem, quando à fure, actione furti vel quadruplum petitur, vel duplum, *tot. tit. de obligat. quæ ex delicto nascunt. in Instit.* Et si Titius contendat, Sempronium furtum sibi fecisse, & ob id quadruplum, vel duplum pro ratione furti, quod vel manifestum est, vel nec manifestum, à Sempronio petat, potest Titius Sempronio iusiurandum deferre, vt iuret se furtum non fecisse, & si Sempronius iurauit, proficit ipsi iusiurandum. E contrario, Sempronius Titio agenti, iusiurandum deferre potest, vt iuret, Sempronium sibi alicujus rei furtum fecisse, & Titio iurante, prodest ipsi iuramentum, sed
non

non statim propterea etiam condictionis causam nanciscitur. *l. in duobus, §. item Pomponius ait, h. t. n.* Sic pœnalis actio, est actio iniuriarum, quando iniuria affectus, iniuriam æstimat, & secundum æstimationem factam, pœnam reo imponi petit. *tot. tit. de iniurijs, in Instit.* Si ergo Titius contendat, à Sempronio iniuriam sibi esse factam, & Sempronius neget, iniuriam se fecisse, potest Titius Sempronio iusiurandum deferre, vt iuret, se non fecisse iniuriam, & Sempronio iurante, iusiurandum ipsi proficit. Similiter actio, vi bonorum raptorũ, pœnalis est actio, qua quis aduersus eum, qui bona sua rapuit, experitur, *tot. tit. de vi bonor. rapt. in Instit.* Et si Titius affirmet, Sempronium sibi bona sua rapuisse, Sempronius id neget, & delato sibi iureiurando iuret, se non rapuisse, proficit ipsi iusiurandum. Sed hoc iureiurando non debet adiuuari in actione furti, aut condictione, quia aliud est furtum fecisse, quod vel clam fieri potest, *vt ICtus loquitur, in l. in duobus, §. si quis iurauerit, h. t. n.* In pœnalibus igitur actionibus, iusiurandum quoq; deferri potest Ait Vlpianus iusiurandum deferri quoq; posse, cum de interdicto agitur. Interdictum 8.

appellatur quandoque actio, & actionis verbo continentur interdicta. *l. actionis, de oblig. & act. l. 4. de mort. infer. l. ob id, §. vlt. ad l. Aquil.* ac idem est effectus actionis, & interdicti, licet ordo, solemnitas, executio, & formula actionis & interdicti sit diuersa, *vt eleganter traditum est à Iacobo Cuiacio lib. 5. obseru. c. 17.* Si ergo agatur interdicto vti possidetis, quorum bonorum, vtrubi, vnde vi, aut simili, *de quibus interdictis Iustinianus agit in tit. de interdict. in Instit. & ICti in 43. lib ff.* iusiurandum in huiusmodi interdictis non minus deferri potest, quàm in actionibus iusiurandum
9. deferri diximus. Ait Vlpianus de conditione personæ iusiurandum quoq; deferri posse. Hoc quomodo intelligendum, sit Vlpianus ipse explicat, vtputa, inquit, detuli tibi iusiurandum, & iurasti in potestate mea te non esse, tuendum erit iusiurandum. Sic liberto patronus iusiurandum deferre potest, vt iuret, se libertum non esse, & si libertus deferente patrono iurauit, se libertum non esse, ratum habendum est iusiurandum, vt nec operarum petitio, nec bonorum possessio, contra tabulas dari debeat, *l. cum qui iu-*
10. *rauit, §. si libertus, h. t. n.* Denique Vlpianus af-

affirmat, de eo iurari posse, an prægnans sit mulier vel non sit, & iurijurando standum. Pone, mulier à viro diuertit, & profitetur se non esse prægnantem. Maritus contra contendit, mulierem prægnantem esse, & vult vt venter ab obstetricibus inspiciatur, & partus custodiatur, *tot. tit. de inspicien. vent. custodiendoq́, partu.* Hoc casu prætor obstetrices adhibebit, & domum honestæ matronæ eliget, in quam veniet mulier vt posit inspici: Et si se inspici non patiatur, vel ad domum, quam prætor elegit, non veniat, prætor mulierem coget venire, vel mulcta certa indicta, vel pignoribus captis & distractis, *d. tit. de inspic. vent. custodiendoq́, partu.* Cæterum hæc ita procedunt, nisi maritus mulieri iusiurandum detulerit, & mulier iurauerit, se prægnantem non esse. Hoc casu iurijurando stabitur, nec audietur maritus, si petat ventrem inspici, & partum custodiri. Sic è contrario, si mulier marito iusiurandum detulerit, vt iuraret maritus, mulierem esse prægnantem, & maritus iurauerit, iurijurando standum est, & cogetur mulier custodes admittere. Rursus pone, mulier diuortio facto, contendit, se ex viro prægnantem

esse, idq; marito denuntiat. Maritus aut mittere custodes debet, qui partum custodiant, aut contra denuntiare, mulierem non esse ex se prægnantem, quod nisi fecerit maritus, cogitur partũ agnoscere, & si non agnouerit, extra ordinem cohercetur, *tot. tit. de agnoscen. & alend. liber.* Hoc tamen locum non habet, si maritus detulit vxori post diuortium iusiurandum, vt iuraret, se ex eo prægnantem esse, & mulier iurauit. Hoc casu cogitur maritus agnoscere partum, etsi mulier marito non denuntiauerit, se ex eo prægnantem esse. Rursus pone, mortuo marito, mulier asserit, se ex eo prægnantem esse, & quasi prægnans ire in possessionem vult. Titius contra dicit, mulierem non esse prægnantem, & ob id in possessionem non debere mitti. Hoc casu prætor summatim de re cognoscet, & si mulier verè prægnans est, in possessionem mittetur. Cognitione autem prætoris nulla opus est, si vel ipsa Titio iusiurandum deferente iurauit, se prægnantem esse, vel Titius, muliere iusiurandum deferente iurauit, eam non esse prægnantem. Nam si ipsa iurauit prægnantem se esse, ibit in possessionem sine metu. Si cō-

tra

tra eam iuratum est, hoc est, si Titius iurauit, mulierem non esse prægnantem, non ibit in possessionem, quamuis verè prægnans fuerit, *vt Vlpia. in d. l. 3. h. t. n. tradit.* Ibi Vlpianus ex Marcello subijcit, prodesse mulieri iuranti iusiurandum, ne cohueniatur quasi calumniæ causa, ventris nomine fuerit in possessione, neuè vim patiatur in possessione, quæ verba vt intelligantur, sciendum est, Prætorem 11. punire mulierem, quæ per calumniam ventris nomine in possessione fuit, & per calumniam in possessione fuisse videtur, quæ sciens prudensq; se prægnantem non esse, voluit in possessionem venire, *l. vni. §. per calumniam, si mulier ventris nomine in possessione calumnia causa esse dicetur.* At non videtur calumniæ causa ventris nomine in possessione fuisse, quæ iurat, se prægnantem esse, *d. l. 3. hoc tit. n. d. l. vni. in princ. si mulier ventris nomine &c.* Intelligimus Vlpiani verba *in d. l. 3. hoc tit. nost.* ex quibus constat, in quacunq; actione iusiurandum deferri posse. Addamus nunc, 12. in popularibus etiam actionibus rectè deferri iusiurandum, *l. eum qui iurauit, §. in popularibus, h. t. n.* Populares actiones etiam publicæ actiones vocantur *in d. l. eum*

qui

qui iurauit, §. in popularibus, ibi, consumit publicam actionem, h. t. n. & quidem ex eo populares, siue publicæ dicuntur actiones, quod omnibus pateant. Huiusmodi est actio albi corrupti, quæ datur in eum, qui id, quod iurisdictionis perpetuæ causa in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit. *l. si quis id, de iurisdict.* Item actio deiecti vel effusi, quæ datur in eum, qui quid deiecit vel effudit, ex quo liber homo perijt, vel quo nocitum est libero homini. *l. si vero plures, §. hac autem actio, de his qui effude. vel deiec.* Item actio sepulchri violati, quæ datur in eum, qui sepulchrum dolo malo violauit, *l. 3. de sepulchro, viola.* Item actio de termino moto, quæ datur in eum, qui terminos finium causa positos, mouent, & propellunt. *l. 3. ibi, actionem ei qui volet, esse iubet, de termino moto.* Item actio apertarum tabularum ante quæstionem familiæ, quæ datur in eum, qui tabulas siue testamentum eius qui à familia necatus esse dicitur, aperuit, antequam quæstio haberetur de seruis, qui sub eodem tecto locoue fuerunt. *l. lege Cornelia cauetur, §. ex hoc edicto, de SCto Sylaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperian-*

periantur. In his omnibus actionibus popularibus siue publicis, iusiurandum quoque deferri potest. Pone ergo, Titius agit aduersus Sempronium, eum album prætoris corrupisse, vel quid deiecisse, ex quo libero homini nocitum est, vel sepulchrum violasse, & terminos mouisse, aut tabulas testamenti ante quæstionem familiæ aperuisse, dicit, Sempronius negat, hic potest Titius Sempronio iusiurādum deferre, & si Sempronius iurauerit se album prætoris non corrupisse, nec quid deiecisse, ex quo libero homini nocitum est, nec sepulchrum violasse, nec terminos mouisse, nec tabulas testamenti ante quæstionem familiæ aperuisse, iusiurandum ipsi prodest. Et quidem prodest 13. ipsi iusiurandum, non modò aduersus Titium, verum etiam aduersus alios. Nec enim quisquam alius de populo, Sempronium quod album prætoris corrupit, vel quid deiecit, ex quo libero homini nocitum est, vel sepulchrum violauit, vel terminos mouit, vel tabulas testamenti ante quæstionem familiæ aperuit, conuenire potest. Si quis agere postea instituat, potest Sempronius agentem exceptione iurisiurandi repellere, sed hoc ita procedit,

cedit; si Titius bona fide à Sempronio iusiurandum exegerit, *d. l. eum qui iurauit, §. in popularibus, h. t. n.* Si per collusionem Titius à Sempronio iusiurandum exegit, Sempronio iusiurandum aduersus alios non prodest. Nam & si Titius egerit, nec iusiurandum Sempronio detulerit, ita demum consumit publicam actionem, hoc est, viam agendi alijs de populo præcludit, si non per collusionem egerit. Si per collusionem fuerit actum, publica actio non consumitur, hoc est, alij de populo postea agere non prohibentur, *d. l. eum qui iurauit, §. in popularibus, h. t. n.* Et hæc de popularibus siue publicis actionibus, quæ

14. ciuiles, siue pecuniariæ sunt. Aliæ sunt actiones publicæ criminales, *de quibus in Instit. de publi. iud.* Et in his quoq; accusatorẽ reo iusiurandum deferre posse, sed non contra, interpretes nostri censent, propterea quod reo iurante, reus absoluitur, qui condemnaretur iuramento ab accusatore dato, & proniores esse debemus ad liberandum, quàm ad condemnandum. *l. Arrianus, de oblig. & actio.* Imo satius est, nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare, *l. absentem, §. 1. de pœnis*, & maiorem honorem curia ex absolùtione, quàm

quàm ex condemnatione consequitur. *Crauet.consf.6.nu.128.* ex quibus rationibus efficitur, nec iudicem in criminalibus in supplementum probationis iusiurandum deferre: *Accursius & post eum Dd. in l. 3. hoc tit.nost. vbi etiam Ioachimus à Beust notauit, mihi folio 147. cum sequent.* Hoc amplius in 15.
actionibus quæ inficiando crescunt, rectè iusiurandum defertur, *d.l.eum qui iurauit, in princ.hoc tit.nost.* Inficiando autem crescit, actio legis Aquiliæ. Hæc actio datur in eum, qui alienum seruum iniuria occidit: Et quidem datur in simplum, hoc est, seruus æstimatur quanti plurimi in eo anno fuit, in eamq; æstimationem occidens condemnatur. Vt si seruus in eo anno, quo occisus est, integer fuit & sanus, & valuit 20. solidos, occidens in 20. solidos condemnabitur, licet illo tempore, quo occisus seruus est, luscus fuit & debilis, & vix decem solidos valere potuit, *§.1.Instit.de l.Aquil.* Sed hoc ita procedit, si is qui seruum occidit, maleficium confiteatur. Si occidens infitietur se seruum occidisse, & postea de mendacio conuincatur, crescit inficiando actio legis Aquiliæ in duplum, & propterea, qui seruum occidit, in 40. solidos condemnabitur *l. inde Neratius, §.hac actio, ad l.Aquil.*

16. Sic actio depositi inficiando crescit certis casibus. Dico, certis casibus, propterea, quod regulariter qui depositum abnegat, & postea conuincitur, rem apud se depositam fuisse, in simplum condemnatur, & infamia afficitur. *l. 1. depositi, tot. tit. de his, qui notan. infam* At qui inficiatur, depositum apud se ex causa tumultus, incendij, ruinæ, aut naufragij, & postea de mendacio conuincitur, in duplum condemnatur, *d. l. 1. deposit. §. sed furti, Instit. de*
17. *actio.* Similiter actio legatorum, ad pias causas relictorum inficiando crescit. Olim quidem legata per damnationem relicta, in duplum debebantur, si heres qui damnatus erat legata præstare, legata inficiebatur. Reliqua legata per inficiationem non crescebant. *§. fin. Instit. de obligat. quæ quasi ex contract. nasc.* Sed hoc Iustinianus, qui omnia legata inter se exæquauit, *§. 1. Instit. de legat.* sustulit. Sustulit quoque actionem in duplum, exceptis legatis, quæ pijs causis relinquuntur, *d. §. fin instit. de oblig. quæ quasi ex contr. nasc.* Hæc legata, si heres ea inficietur, & postea de mendacio conuincatur, in duplum ab herede præstanda sunt, atque ita Iustinianus affirmat, se alibi constituisse, *in d. §. fin.*

Instit.de obligat.quæ quasi ex contr. nasc. Hanc constitutionem putant vulgo esse, *l.2.C. commu.de legat.* in qua quidem legata fideicommissis exæquantur, sicuti omnibus legatis vna natura tribuitur, *in l.1.C. commu.de leg.* sed nihil in ea constitutione est de actione in duplum, nihil etiam de legatis pijs: & idcirco Iustinianus non respicit *ad d.l.2.C.commu. de legat.* sed potius respicit ad græcam quandam constitutionem, quæ desideratur in tit. de episco. & cleric. *quemadmodum Eustachius tradidit in libro de diuer. tempo.præscript. Ibi sub tit.de anno, inquit. Si intra annum non soluatur, quod relictum est pijs causis, duplum soluatur, vt est scriptum lib.1.C.tit.3.constit.45.* In his igitur actionibus, quæ inficiando crescunt, iusiurandum deferri quoque potest, *d. l.eum qui iurauit, in princ. h. t. n.* Cæterum is qui 18.
iurauit ex actione, quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi, simpli, non dupli persecutionem siue petitionem sibi acquirit. Vnde si legatum Ecclesiæ sit relictum, & heres legatum inficietur, œconomus autem Ecclesiæ, herede iusiurandum sibi deferente, iuret, Ecclesiæ legatum esse relictum, œconomus Ecclesiæ simplum duntaxat persequi siue petere

poteſt, non duplum, *d.l. eum qui iurauit, h. t.n.* Ibi Paulus rationem aſsignat huiuſmodi. Abunde inquit, ſufficit exonerare petitorem probandi neceſsitate. His verbis Paulus ICtus hoc dicit. Ideo ſimplum perſequitur non duplum qui iurauit ex ea actione, quæ inficiando creſcit, aliquid ſibi deberi, quia petitor probandi neceſsitate exoneratus fuit. Coactus fuiſſet petitor Eccleſiæ, probare intentionem ſuam, Eccleſiæ legatum fuiſſe relictum, eoq; in probatione deficiente, heres fuiſſet abſolutus, ſecundum vulgatam iuris regulam: actore non probante, reus etſi nihil præſtiterit, abſolui debet. *l. qui accuſare, C. de edendo.* Ac fieri facilè poteſt, vt quis in probatione deficiat. Illa probandi neceſsitate petitor exoneratur, quando heres à quo legatum petitur, petitori defert iuſiurandum. Hoc ergo commodum, quod petitor ſentit in exoneratione probationis, abunde ei ſufficere debet, nec debet petitor audiri ſi duplũ inſuper petere velit, cum fortè nihil potuiſſet conſequi, probandi neceſsitate non exoneratus. Et hæc vna eſt ratio, quam Paulus ICtus reddit. Subijcit poſtea Paulus aliam, quoque rationem,

his verbis: Et potest dici, hoc iudicio non principalem causam exerceri, sed iusiurandum actoris conseruari. Hanc quoq; rationem,& verba Pauli breuiter excutiemus. Ait Paulus: Et potest dici, hoc est, alia quoq; ratio assignari potest, quare is, qui iurauit ex ea actione, quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi, simplũ tantum persequatur, non duplum. Ratio est, quia hoc iudicio, hoc est, quando petitor petit ex iureiurando legatum Ecclesiæ relictum, hoc inquam iudicio non exercetur principalis causa, hoc est, non de eo quæritur, an Ecclesiæ legatum, quod petitur, debeatur, vel non debeatur, hæc quæstio omittitur *l. non erit ratum, §. dato, hoc tit. π.* & iusiurandum actoris conseruatur, hoc est, de eo tantum agitur, an iuratum sit ecclesiæ legatum deberi. Et quia petitor affirmat se iurasse, ecclesiæ legatum deberi, & ex iureiurando legatum petit, ob id simplum tantum persequitur, hoc est, legatum ipsum, quod iurauit ecclesiæ deberi, non persequitur alterum tantùm, hoc est, duplum, eius persecutio ad causam principalem pertinet. Sed quæstionis est, vtrùm petitor 19
qui iurauit, ecclesiæ legatum esse reli-

ctum, omissa hac parte edicti, hoc est, omisso iureiurando posſit causam principalem exercere, & probare, vel testamento, vel testibus, ecclesiæ legatum esse relictum, atque ita duplum persequi: Et ita Paulo videtur. Nam sic Paulus inquit, omissa hac parte edicti, dupli actio integra manet, *d. l. eum qui iurauit, h. t. n.* Hæc verba non vno modo interpretes nostri exponunt. Nonnulli enim putant, Paulum dictis verbis hoc velle, quod petitor cui iusiurandum ab herede defertur, (placet enim in proposito exemplo persistere) posſit iusiurandum sibi delatum, recusare, & dicere quod intentionem suam legitimo modo probare, atque ita duplum consequi velit, cum si iuraret, simplum tantum esset consecuturus. Alij existimant Pauli hanc esse sententiam, quod petitor qui iurauit ecclesiæ legatum deberi, posſit isto iureiurando, si velit, non vti, & intentionem suam post iusiurandum præstitum, testibus vel quo alio modo probare, & duplum consequi. Et hæc posterior expositio verior est, magisq; literæ consonat, & græci interpretes eodem modo Paulum intellexerunt, *vt ex Synopsi basilicon libro 22. tit. 5. c. 26. videre li-*

re licet. Ibi græci ita habent: Ἐὰν ὀμόσω χρεωστεῖσθαι ἐξ ἀγωγῆς διπλασιαζομένης τῇ ἀρνήσει, τὸ ἁπλοῦν μόνον ἐκ τοῦ ὅρκου ἀπαιτῶ. δύναμαι δὲ καὶ μετὰ τὸν ὅρκον κινῆσαι τὴν πρωτότυπον· καὶ δεικνὺς ἄλλως τὸ χρέος, ἀπαιτῶ τὸ διπλάσιον, *id est, si iurauero mihi deberi ex actione quæ infitiando duplatur, simplum ex iureiurando duntaxat peto. Possum autem & post iusiurandum præstitum, priorem actionem mouere, siue principalem causam exercere, & probato aliunde debito, duplum persequor.* Porro de- 20.
ferri iusiurandum quoque potest in famosis iudicijs. *l. nam posteaquam, §. si damnetur quis, h.t.n.* Famosa iudicia sunt,quæ infamiam irrogant damnatis. Vt furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, pro socio, tutelæ, mandati, depositi, iudicia, famosa iudicia sunt, vt constat, ex edicto prætoris,de his qui notantur infamia, in quo edicto, & plæraq; alia iudicia famosa enumerantur. *l. 1. de his qui notan. infam.* In his omnibus iudicijs famosis, iusiurandum potest deferri. Etsi damnetur quis post iusiurandum ex famoso iudicio, famosum esse magis est, *d. l. nam posteaquam, §. si damnetur, hoc tit. n.* Notandum est, quod ICtus inquit, si damnetur quis: Ex ijs verbis intelligi-

mus, famosum eum non esse, contra quem in actione furti, vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, iuratum est. Vt si Titius cum furti à me argueretur, iusiurandum mihi detulit, vt iurarem, eum furtum mihi fecisse, egoq; iuraui, non propterea Titius famosus est: solum iusiurandum, eum, contra quem in famoso iudicio iuratum est, famosum non reddit. Verum si iusiurandum sequatur sententia iudicis, & Titius posteaquam ego iuraui, eum furtum mihi fecisse, à iudice damnetur, tunc Titius fit famosus. Sic enim nominatim in edicto prætoris expressum est: Infamia notatur, qui furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damnatus erit. *d. l. 1. de his qui notant. infam.* & proptereà rectè Vlpianus inquit, famosum esse, qui damnatur post iusiurandum, *in d.*
21. *l. nam posteaquam, § si damnetur, h. t. n.* Denique iusiurandum non solum super rebus corporalibus & singularibus, verum etiã super rebus incorporalibus, & quando de vniuersitate bonorum agitur, rectè defertur. Vt si contentio sit inter me & Titium de vsufructu, & ego contendam vsumfructum mihi dari oportere, Titius verò neget, & deferat mihi iusiurandum,

 egoq;

egoque iurem vſumfructum mihi dari oportere, iuſiurandum mihi prodeſt, & Titius cogi poteſt, vt vſumfructum mihi det. Cæterum non aliter vſusfructus mihi dari debet, quàm ſi caueam boni viri arbitratu me vſurum, & finito vſufructu reſtituturum *l. cum qui iurauit, §. fin. hoc tit. noſtro.* quam cautionem vſufructuarius ſemper præſtat, *tot tit. vſufructuarius quemadmodum caueat.* Eatenus quoque mihi, poſteaquam iuraui vſumfructum alicuius rei, vel meum eſſe, vel dari mihi oportere, actio competit, quatenus ſi verè vſumfructum haberem, duraret, quibus verò caſibus amitteretur, non competit mihi actio, *l. ſed etſi poſſeſſori, §. item ſi iurauero, hoc tit. noſt.* Sed etſi rerum in quibus vſusfructus propter abuſum conſtitui non poteſt, iurauero vſumfructum me habere, vel mihi deberi, ex iureiurando poſſum petere vſumfructum cautione oblata: *d. l. ſed etſi poſſeſſori, §. ſed etſi rerum, hoc tit. noſtro.* Inquit ICtus, in quibus vſusfructus propter abuſum conſtitui non poteſt, hoc eſt, in quibus vſusfructus non poteſt conſtitui propterea, quod vſu conſumuntur. Abuti eſt non tantum re vti 22.
ad alium finem, quàm in quem res

ipsa comparata est, verumetiam abuti est vtendo insumere, vt Nonius Marcellus auctor est, & notarunt Donatus & Aruntius Celsus in libello de proprietate latini sermonis. Similiter cum de hereditate inter me & Titium controuersia est, & ego iuro, hereditatem meam esse, Titio iusiurandum mihi deferente; valet iusiurandum & id consequi debeo, quod haberem, si secundum me de hereditate pronuntiatum esset. Itaq; Titius non solum eas res restituere debet, quas tunc possidebat, sed & si quas postea cœpisset possidere, perindeq; haberi debet, quod iuratum est, ac si probatum esset, *d. l. sed etsi possessori*, §. *si cum de hereditate*, *h. t. n.* Quod si ego ex eadem hereditate possideam fundum Tusculanum, & Titius incipiat petere à me fundum Tusculanum, cum aduersus Titium iurauerim, exceptione iurisiurandi vti debeo. Planè si alius à me hereditatem petere cœperit, dubium non erit, vt & Iulianus scribit nihil mihi iusiurandum prodesse. *d. l. sed etsi possessori*, §. *fin. h. t. n.* Idem est etsi ego à quolibet alio possidente, res hereditarias petere velim. Hoc casu iusiurandum mihi non prodest, quia etsi petijssem à

Titio hereditatem, & probassem hereditatem meam esse, nihilominus ab altero petendo idipsum probare, necesse haberem. *l. idem est, h t. n.* De causis matrimonialibus quæritur, vtrum in ijs iurijurando quoque locus esse possit. Pone controuersia est inter Titium & Bertam de matrimonio. Berta contendit, Titium sibi matrimonium promisisse, Titius negat. Defert Berta Titio iusiurandum, vt Titius iuret, se matrimoniũ sibi non promisisse. Quæstionis est, vtrum huiusmodi delatio iurisiurandi valeat. Rursus pone: Titius defert Bertæ mulieri iusiurandum, vt ipsa iureiurando suo affirmet, matrimonium sibi esse promissum, quæritur vtrum ea delatio iurisiurãdi rectè facta sit. Hîc Doctores nostri ita distinguunt, videndum est, inquiunt, cum de eo quæstio est, vtrum iusiurandum in causis matrimonialibus locum habeat, an iusiurandum à parte parti delatum sit pro matrimonio, an verò contra matrimonium. Si iusiurandum pro matrimonio est, tunc delatio iurisiurandi quã pars fecit parti, valet. Si iusiurandum, quod pars detulit parti, est contra matrimonium, non valet delatio. Hæc est communis inter- 23.

pretum nostrorum sententia, *vt ex ijs, quæ Ioachimus à Beust. in l. 3. de iureiur. mihi folio 147. cum sequentib. & Andreas Gail. lib. 2. pract. obseruat. obseruat. 84. tradiderunt, videre licet.* Ex hac distinctione definiendum est, delationem iurisiurandi, quam Berta fecit, non valere. Ratio est, quia iusiurandum est contra matrimonium. Si enim Titius iuraret se matrimonium Bertæ non promisisse, matrimonium non procederet. Et in potestate partium esse non debet, matrimonium per iuramentũ impedire. Contra ex dicta distinctione dicendum etiam est, Titium rectè detulisse iusiurandum Bertæ, vt ipsa iuraret, matrimonium sibi esse promissum. Ea delatio iurisiurandi est pro matrimonio, & idcirco valet, & Berta iurante, Titium sibi matrimonium promisisse, Titius cum Berta matrimonium contrahere compellitur. Sic Berta semiplenè probante, quod Titius sibi matrimonium promiserit, iudex potest in supplementum probationis Bertæ petenti iusiurandum necessarium deferre, si Berta probitatis opinionem apud omnes habeat, & sit vitæ integritate conspicuá, & æqualem in matrimonium petat, *quemadmodum ab Andrea*

Gail. in loco sup. dicto traditum est, & à Ioachimo Beust in l. admonendi, mihi folio 320. de iureiur. Et hæc de quinto capite dicta sufficiant.

CAPVT SEXTVM DE reuocatione, & remissione iurisiurandi delati.

1. *Diuersa sunt iusiurandum delatum reuocare, & iusiurandum delatum remittere.*
2. *Reuocatio iurisiurandi à Iustiniano primum introducta non est, sed ante ipsum in Republica Romana fuit recepta.*
3. *Explicatur l. si quis iusiurandum, 11. C. de reb. cred. & iureiur.*
4. *Permissum est ex Iustiniani constitutione iusiurandum delatum reuocare: Et reuocare iusiurandum quid sit.*
5. *Dissoluuntur & explicantur quædam regulæ iuris, quibus probari videtur iurisiurandi reuocationem permissam non esse.*
6. *Explicatur l. huiusmodi, §. Stichum aut Pamphilum, ff. de legat. 1.*
7. *Explicatur l. cum patrono, ff. de bonor. possess.*

8 Quando

8. *Quando iusiurandum delatum reuocare liceat, Et quaenam iusta causa reuocationis sit.*
9. *Utrū reuocatio iurisiurandi in iuramento iudiciali locum saltem habeat, an verò in iuramento voluntario & necessario.*
10. *Iusiurandum voluntarium nondum susceptum reuocari quoq; potest.*
11. *Susceptum quoq; voluntarium iusiurandum reuocari posse probatur.*
12. *Necessarium iuramentum iudex quoq; ex certa causa potest reuocare.*
13. *Iudex verisimiliter peieraturo iusiurandum deferre non potest, nec debet.*
14. *Quamdiu liceat iusiurandum reuocare.*
15. *Iudex definitiuè sententiam ferre cogitur sub alternatione, vt is, cui delatum est iusiurandum, vel soluat, vel iuret.*
16. *Duobus modis iudex approbat iudiciale iuramentum.*
17. *Appellatio quid sit.*
18. *Iuramentum semel reuocatum, postea rursus deferri non potest.*
19. *Differentia exponitur inter reuocationem & relationem iurisiurandi.*
20. *Pupillus iurisiurandi gratiam facere non potest.*
21. *Quis sit effectus iurisiurandi remissi.*

Sub

SVb hoc capite agemus de reuocatione & remißione delati iurisiurandi. Aliud est iusiurandum delatum reuocare, longè aliud iusiurandum delatum remittere. De reuocatione iurisiurandi delati, agit Imperator Iustinianus *in l. si quis iusiurandum, C. de rebus cred. & iuretur.* nec alius, vt puto, in iure ciuili locus est, in quo de reuocatione iurisiurandi delati tractetur. Inde tamen dicendum non est, Iustinianum hoc ius primum introduxisse, vt qui iusiurandum detulissent, ex certa causa possent iusiurandum delatum reuocare. Etenim longè ante tempora Iustiniani Imperatoris, reuocationem iuramentorum delatorum in foro Romano receptam fuisse, vel ex Seneca *lib 1, declamatio.* constat, vbi centumuiri non admiserunt reuocationem iurisiurandi ab Albutio Aruntio delati, qua centumuirorum iniquitate Albutius motus, nunquam in foro amplius causam dixit. Iustiniani itaque constitutionem, hoc est, dictam l. si quis iusiurandum, breuiter explicabimus. Constitutionis verba hæc sunt. Si quis iusiurandum intulerit, & nec dum eo præstito,

1. (right margin, beside "Aliud est iusiurandum")
2. (right margin, beside "Inde tamen")
3. (right margin, beside "Constitutionis")

postea vtpote sibi allegationibus abundantibus hoc reuocauerit: sancimus nemini licere penitus iterum ad sacramentum recurrere (satis enim absurdum est, redire ad hoc, cui renunciandum putauit, & cum desperauit aliam probationem, tunc denuo ad religionem conuolare) & iudices nullo modo eos audire ad tales iniquitates venientes. Si quis autem sacramentum intulerit, & hoc reuocare maluerit, licere quidem ei hoc facere, & alias probationes, si voluerit, præstare: ita tamen vt huiusmodi licentia, vsq; ad litis tantummodo terminum ei præstetur. Post definitiuam autem sententiam, quæ prouocatione suspensa non fit, vel quæ postquam fuit appellatum, corroborata fuerit, nullo modo reuocare iuramentum, & iterum ad probationem venire cuiquam concedimus, ne repetita lite, finis negocij alterius causæ fiat exordium. Hactenus Iustinianus. Hac constitutione Iustinianus quatuor tradit. Primum quod liceat iusiurandum delatum reuocare. Secundo, quando id liceat. Tertio, quamdiu id liceat. Quarto, Quod iusiurandum semel reuocatum non liceat iterum deferre.

De

De his quatuor capitibus ordine agemus. Quod ad primum caput attinet, 4.
docet Iustinianus, eum qui iusiurandum intulit, iureiurando nondum præstito, iusiurandum illatum reuocare posse. Inferre iusiurandum, Iustinianus dixit, pro deferre iusiurandum, quomodo & ICti interdum locuti sunt, *vt supra me monuisse memini.* Et qui iusiurandum intulit siue detulit, potest iusiurandum reuocare. Reuocare iusiurandum eodem modo dicimus, quo reuocare mandatum. Et sicuti reuocato mandato, mandatum euanescit, expirat, extinguitur, & perinde habetur, ac si nunquam interpositum fuisset, *§. rectè quoque, Institut. de mandato.* ita reuocato iureiurando delato, delatio iurisiurandi euanescit, expirat, extinguitur, & perinde habetur ac si nunquam facta fuisset. Itaque si is, cui delatum est iusiurandum, post reuocationem iurisiurandi iurauerit, perinde habetur iusiurandum, ac si eo non delato, iuratum esset. At dices, regula iuris est, 5.
quod semel placuit, amplius displicere non debere, *c. quod semel, de regul. iuris, in 6.* Et semel probatum, reprobari non posse: *l. Pomponius scribit, de negot. gest.*

Et

Et neminem posse mutare consilium in alterius detrimentum. *l. nemo potest, de reg. iur. c. mutare consilium, de reg. iur. in 6.* Ex his regulis iuris videbatur dicendum, eum qui semel approbauit iusiurandum, & iusiurandum detulit, improbare iusiurandum, idque reuocare non debere. Sed his & similibus regulis iuris respondendum est, eas non procedere in casibus, quibus lex permittit, vt quod semel placuit, postea displicere, reprobari, & mutari possit. Lex autem reuocationẽ iurisiurandi delati admittit, & propterea superiores regulæ, reuocationem iurisiurandi delati, non impediunt. Non obstat
6. similiter quod dicitur, heredem non posse voluntatem suam mutare. *l. huiusmodi, §. Stichum aut Pamphilum, de legat. 1.* Id enim in herede procedit, cui nominatim electio data est, hoc modo, Stichum aut Pamphilum, vtrum volet, heres dato. Hic heres, vbi semel Stichum elegit, postea mutare voluntatem, & Pamphilum dare non potest, quia id defunctus, qui heredi nominatim electionem dedit, voluisse videtur. Aliud est in herede cui nominatim electio data non est. Is potest mutare voluntatem, *l. cum qui certarum,*

§. vlt.

§. vlt. de verbo. oblig. Sic qui detulit iusiurandum, iusiurandum reuocare potest, cum lege permittente id fiat. Non obstat 7.
iterum, quod semel est agnoscenda bonorum possessio, quodque semel bonorum possessione agnita, mutari voluntas non potest. *l. sed cum patrono, de bono. possess.* Nã dicere possumus, hæc dissimilia esse, prout sæpius ICti respondere solent, *l. inter stipulantem, §. sed hæc dissimilia sunt, de verbo. oblig. l. qui res suas obligauit, §. aream, vers. nec simili argumento vsus est, de solutio.* Iusiurandum itaque delatum, à deferente reuocari potest. Sed hoc ita procedit, 8.
vt Iustinianus secundo loco *in d. l. si quis iusiurandum, C. de rebus cred.* tradit, quando iusta subest causa. Et merito hoc à Iustiniano Imperatore, *ad d. l. si quis iusiurandum,* additum est, vt à iuramentis omnis temeritas & petulantia procul arceatur. Temeritas esset & petulantia non leuis, si ei qui detulit iusiurandum liceret sine causa, quandocunque vellet, delatum iusiurandum reuocare. Illud nihil aliud esset, quàm iuramento, re omnium maxima, ludere. Causa autem iusta, ob quam iuramentum delatum & nondum præstitum, à deferente reuocari potest,

est, si deferens dicat, se instrumenta inuenisse, quibus intentionem suam probare confidat, vel habere testes, quibus debitum, quod petit, docere paratus sit. Hoc Iustinianus vult dicere, illis verbis, vtpote allegationibus sibi abundantibus. *d. l. si quis iusiurandum, C. de reb. cred.* Per allegationes Iustinianus probationes intelligit, quas deferens iusiurandum se habere affirmat. ita enim Iustinianus seipsum postea explicat *in §. si quis autem sacramentum, d. l. si quis iusiurandum, C. de rebus*
9. *cred.* In quæstionem vocatur, vtrum quod diximus, reuocationem iurisiurandi ex iusta causa fieri posse, in iudiciali iuramento duntaxat locum habeat, an verò etiam in iuramento voluntario & necessario procedat. Et quidem Imperator Iustinianus loqui tantum videtur de iuramento iudiciali, quod pars defert parti in iudicio, iudice iuramentum approbante. Nam Iustinianus facit mentionem sententiæ definitiuæ, item prouocationis, siue appellationis, quæ ad iudicium pertinent. Dubium itaq; non est, Iustiniani constitutionẽ ad iusiurandũ, quod extra iudicium delatum est, non pertinere. Similiter non pertinet quoq; Iustiniani con-

conſtitutio ad iuſiurandum neceſſarium, quod iudex deferre ſolet in cauſis dubijs, propterea quod Iuſtinianus loquitur de eo, qui propterea reuocat iuſiurandum, quod alijs probationibus vti vult. At probationibus in iudicio partes vtuntur. Iudex probationibus non vtitur, ſed iudicandi munere fungitur, vnde relinquitur Iuſtiniani conſtitutionem etiam ad reuocationem iuriſiurandi à iudice delati, in cauſis dubijs non pertinere. Quamuis au- 10.
tem Iuſtiniani conſtitutio ſpectat ad reuocationem iuriſiurandi iudicialis: tamẽ dicendum videtur, non ſolum iudiciale iuſiurandum, verumetiam voluntarium, & neceſſarium reuocari poſſe. De voluntario iureiurando quod reuocari poſsit antequam acceptetur, nulla poteſt eſſe dubitatio. Vt pone, Titius Sempronio detulit extra iudicium iuſiurandum vt Sempronius iuraret, ſe centum non debere ex mutuo, quæ ex mutui cauſa Titius ſibi deberi affirmat. Sempronius non accipit ſtatim iuſiurandum ſibi delatum, ſed petit dilationem ſibi concedi ad vnam aut alteram horam, vt rem omnem diligenter ſecum expendere & deliberare poſsit, vtrum iuſiurandum ſibi delatum

acceptare velit. Titius petitam dilationem Sempronio concedit. Postea antequam Sempronius voluntatem suam declararet, Titius iusiurandum Sempronio delatum reuocat. Hoc casu absque omni dubio, reuocatio iurisiurandi voluntarij à Titio facta, locum habet, *atq; ita Bartolus & reliqui doctores, nouißimè etiam Riminald. n. in l. non erit ratum, §. fin. h.t.n. notarunt.* An
11. autem iusiurandum voluntarium, susceptum ab eo, cui delatum est, à deferente reuocari possit, de eo in specie nihil à Dd. traditum inuenio. Hoc tantum Dd. annotârunt, in iuramento suscepto, pœnitentiæ locum esse, si iusta causa superuenerit, in eamque rem adferunt. *d.l.si quis iusiurandum, C. de reb. cred. & iureiur.* quæ cum de iudiciali iuramento loquatur, *vt sup. dictum est*, ad voluntarium iusiurandum, satis commodè trahi non potest. Existimo tamen voluntarium iusiurandum semel susceptum ab eo, cui delatum est, postea reuocari posse, si scilicet iusta causa superuenerit. Vt pone Titius extra iudicium, cum probationes ad manum nullas haberet, Sempronio detulit iusiurandum, vt Sempronius iuraret, se centum ex mutui causa non debere, quæ

Titius

Titius ſibi deberi affirmat. Sempronius iuſiurandum delatum ſuſcepit. Titius, antequam Sempronius iuraret, ſe centum non debere, inuenit chirographum Sempronij, in quo Sempronius confitetur, ſe centum à Titio mutuo accepiſſe. Pœnitet itaque Titium delati iuriſiurandi, & iuſiurandum delatum eſſe nollet. Quæſtio hîc oritur, vtrum Titius iuſiurandum voluntarium, Sempronio delatum, & à Sempronio quidem ſuſceptum, non tamen præſtitum, reuocare poſsit. Et puto dicendum reuocationi, in propoſito exemplo, locum eſſe, ne Titius, pecunia ſibi debita fraudetur & manifeſto periurio via aperiatur, *contra text. in l. 1. C. ſi aduerſus venditionem, c. 1. de ijs, qui vi metuſuè cauſa, c. ſi verò, c. verum, de iureiur.*

12. Quod ad iuramentum neceſſarium attinet, quod interpretes probationum ſuppletorium appellant, non inuenio quemquam ex interpretibus noſtris, qui de eo quicquam tradiderit, vtrum iuramentum neceſſarium à iudice delatum, & à parte ſuſceptum reuocari poſsit. Arbitror tamen hîc quoque iudicem hanc facultatem & poteſtatem habere, vt iuramentum in cauſis dubijs delatum ex cau-

ſa reuocare poſsit, iureiurando nondum præſtito. Certum namq; eſt, quamcunq; iudicis interlocutionem, à iudice reuocari poſſe. *l. quod iuſsit, de re iudicata*, ibi à ICto Celſo traditum eſt, quod iuſsit, vetuituè prætor contrario imperio tolli & repeti poſſe, licet de ſententijs contrà ſit. *Corneus conſ. 274. col. fin. lib. 3. & conſ. 117. col. 2. lib. 4. Crauet. conſ. 23. nu. 8. & conſ. 135. nu. 26.* Pone ergo, Iudex actori, qui ſemiplenè intentionem ſuam probauit, iuramentum neceſſarium detulit. Actor iuramentum ſuſcepit. Poſtea iudex cognouit, actorem hominem eſſe leuem & facilem ad iurandum, ſicque timet, ne periurium committat, ac vult iudex iuſiurandum actori, homini leui, delatum reuocare. Quæritur an iudex id facere poſſit. Et reſpondendum videtur, iudicem hoc facere poſſe, *per d. l. quod iuſsit, de re*
13 *iud.* Nam & iudex veriſimiliter peieraturo iuſiurandum in cauſis dubijs deferre non debet, *vt Marſilius ſcriptum reliquit poſt Romanum, in l. maritus, num. 51. de quæſtio. Marſil. ſing. 74. Plotus in l. ſi quando, num. 794. C. vnde vi.* Et homicida eſt iudex cum veriſimiliter peieraturo, iuſiurandum defert. *Ita Felinus tradit in c. Apo-*

c. Apostolica, num. 2. extra de exceptio ex c. ille, & c. qui exigit, 22. quæst. 5. Progrediamur nunc vlterius & videamus, quamdiu liceat iusiurandum reuocare. Hoc quoque 14.
Iustinianus docet *in d. l. si quis iusiurandum, C. de reb. cred.* Deferenti, inquit, licentia vsque ad litis tantummodo terminum præstetur. Post definitiuam autem sententiam, quæ prouocatione suspensa non sit, vel quæ, postquam fuit appellatum, corroborata fuerit, nullo modo reuocare iuramentũ, & iterum ad probationem venire, cuiquam concedimus. His verbis Iustinianus hoc dicit. Eum qui detulit iusiurandum, reuocare posse vsq; ad sententiam definitiuam. Sententiam definitiuã Iustinianus litis terminum appellat, propterea quod sententia definitiua litibus finẽ imponit, & iudex postquã semel sententiam definitiuam dixit, postea iudex in illa causa esse definit. *l. iudex, de re iud.* Post litis igitur terminum siue post sententiã definitiuam, iuramentum reuocari non potest. Huiusmodi reuocatio, sera nimis est reuocatio. Definitiuè verò iudex sen- 15.
tentiã dicit, quando Sempronium, cui iuramentum à Titio delatum est, soluere vel iurare cogit, atq; ita iudex definitiuè

fub alternatione, vt is, cui iuramentum delatum eft, vel foluat, vel iuret, fententiam ferre cogitur. Nec enim iudex definitiuè fimplex iufiurandum imponit & præcipit, vt Sempronius iuret. Huiufmodi fententia nullius effet momenti. *l.cum iudex, C.de fenten. & interlo. iud.* Ibi ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, cuidam Luciano in hunc modum refcriptum eft. Cum iudex in definitiua fententia iufiurandum folummodo præftari præcipiat, non tamen addat, quid ex recufatione vel præftatione facramenti fieri oportet, huiufmodi fententiā nullam vim obtinere palam eft. Deinde definitiue quoque iudex fententiam dicit, quando ex iureiurando, quod per interlocutionem Sempronium præftare iuffe-rat, Titio iufiurandum Sempronio deferente, vel præftito, vel relato, vel remiffo, vel recufato, fententiam fert. *iufiurandum & ad pecunias, §. fin. h.t.n.*
16. Et hifce duobus modis, quod fummè notandum eft, iudex approbat iudiciale iuramentum, quod pars parti in iudicio detulit. Aut enim iudex interloquitur iureiurando à parte parti delato, vt is, cui delatum eft iufiurandum, iuret, & poftea ex iureiu-

reiurando præſtito, vel relato, vel remiſſo, vel recuſato ſententiam abſolutoriam vel condemnatoriam fert. *d. l. iuſiurandum & ad pecunias, §. fin. h. t. n.* Aut iudex in ipſa ſententia definitiua approbat iuſiurandum, quod pars parti detulit, & ei cui iuſiurandum delatum eſt, imponit, vt iuret aut ſoluat. *d. l. cum iudex, C. de ſent. & interloc. iud.* Et ſiue hoc, ſiue illo modo, litem iudex definiat, poſt ſententiam iudicis definitiuam iuſiurandum reuocari non poteſt, niſi ſententia iudicis definitiua prouocatione ſuſpenſa fuerit. *d. l. ſi quis iuſiurandum, C. de reb. cred. & iureiur.* hoc eſt, niſi à ſententia iudicis definitiua fuerit appellatum. Appellatio eſt prouo- 17.
catio à iudice qui ſententiam dixit ad ſuperiorem iudicem. Et appellatione interpoſita, ſententia iudicis ſuſpenditur, ac pendēte appellatione, licet ei qui iuſiurandum detulit, pœnitere & iuſiurandum reuocare, quoad lis extrema ſententia fuerit terminata. Poſt extremam ſententiam, qua prior ſententia corroborata eſt, nullo modo reuocare iuramentum & iterum ad probationem venire cuiquam conceſſum eſt, ne repetita lite, finis negotij, alterius cauſæ fiat exordium,

vt Iuſtinianus loquitur *in d. l. ſi quis iuſiurandum, in fine, C. de reb. cred. & iureiur.* Et de appellationibus in cauſis iuramentorum, in poſtremo capite plura dicemus.

18. Nunc vno verbo addendum eſt, quod iuramentum ſemel reuocatum, poſtea rurſus deferri non poteſt, & hoc poſtremo loco Iuſtinianus *in d. l. ſi quis iuſiurandum, C. de reb. cred. & iureiu. tradit.* Et aſsignat Iuſtinianus Imperator rationem, quare ſemel reuocato iureiurando iterum iuſiurandum deferri non poſsit. Ratio eſt, quia ſatis abſurdum eſt, redire aliquem ad hoc, cui renunciandum putauit, & regula hæc generalis eſt, quod renuncians ad ius, cui renunciauit, redire non poteſt. *l. quæritur, §. ſi venditor, de ædilit. edict. l. ſi maritus, § ſi negauerint, de adult. l. non videtur, ſi quid in fraudem patroni, l. poſtquam liti, C. de pact. l. fin. C. de remiſ. pigno.* Et hæc de reuocatione iuriſiurandi delati. Quod ad remiſsionem delati iuriſiurandi attinet, ſciendum eſt, frequentem in libris noſtris fieri mentionem iuriſiurandi remiſsi, *l. non erit ratum. §. fin. cum l. ſequen. l. nam poſteaquam, §. iureiurando dato, l. iuriſiurandi, l. iuſiurandum & ad pecunias, in fin. l. ſi non fuerit remiſſum, & l. Labeo, hoc tit. noſt.*

l. 1. &

l. 1. & l. actori, C. de reb. cred. & iuretur Ac plurimum differt *vt sup. monui*, reuocatio à remißione iuriſiurandi. Qui reuocat iuſiurandum, ne iurato quidem credit, aut vult credi. At qui remittit iuſiurandum delatum, iniurato credit. Remittit autem iuſiurandum, qui deferente ſe, cum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit, contentus voluntate ſuſcepti iuriſiurandi. *d.l. remittit, hoc titulo noſtro.* Verbi gratia, Titius detulit Sempronio iuſiurandum vt iuraret, ſe centum mutuo non accepiſſe, Sempronius ſuſcepit iuſiurandum ac paratus eſt iurare, ſe non accepiſſe mutuo à Titio centum. Titius videns Sempronium iurare velle, dicit illi, nolo vt iures, ſum contentus voluntate ſuſcepti iuriſiurandi, atq; ita gratiam iuriſiurandi tibi facio. **Das iſt / ich erzeyge dir dieſe gunſt / daß du keinen leiblichen Eydt darffſt ſchweren.** Hoc caſu Titius Sempronio iuſiurandum remittere dicitur. Quod ſi Sempronius non ſuſcepit iuſiurandum, licet poſtea paratus ſit iurare, & Titius Sempronio nolit iuſiurandum deferre, non videbitur iuſiurandum remiſſum. Nam quod ſuſceptum eſt, remitti debet. 19.

d.l. re-

20. *d.l.remittit,h.t.n.* Pupillus tamen iurisiurandi gratiam facere non poteſt, *d.l.iuriſiurandi, h. t. n.* hoc eſt, pupillus non poteſt iuſiurandum ſuſceptum remittere, aliàs nihil refert, vtrum præſenti an abſenti iuſiurandum remittatur. Nam etiam abſenti & ignoranti iuriſiurandi gratia fieri poteſt, vt Labeo reſpondit, *d.l. Labeo, h.t.n.* Quinimo & per epiſtolam gratia iuriſiurandi fieri poteſt, *d. l. Labeo,*
21. Iuriſiurandi verò remiſsi effectus hic eſt, quod perinde habetur iuſiurandum remiſſum, ac ſi datum ſiue præſtitum eſſet. Iureiurando dato ſiue præſtito,non aliud quæritur, quàm an iuratum ſit, remiſſa quæſtione, an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit iureiurando, *d. l. non erit ratum, §.dato, h.t.n.* quia perinde habetur, quod iuratum eſt, atque ſi probatum eſſet, *l ſed etſi poſſeſſori, §. ſi cum de hereditate, h t.n.* Ad eundem modum iureiurando remiſſo nihil aliud quæritur, quàm an remiſſum ſit, omiſſa quæſtione an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit debitum remiſsione iuriſiurandi, quia perinde habetur, quod remiſſum eſt, atque ſi probatum eſſet. Hinc ab Vlpiano traditum eſt, Iureiurando dato vel remiſſo, reum quidem acqui-

quirere exceptionem sibi alijsque, actorem verò actionem, in qua hoc solum quæritur, an iurauerit dari sibi oportere, vel cum iurare paratus sit, remissum ei sit iusiurandum, *l. nam posteaquam, §. iureiurando dato, hoc titulo nostro.* Hinc quoque ab Antonino Imperatore rescriptum est, causam iureiurando præstito vel remisso decisam, ne periurij quidem prætextu retractari posse, *l. 1. C. de rebus cred. & iureiur.* Hinc denique Diocletianus & Maximianus rescripserunt: Actori delato vel relato iureiurando si iurauerit, vel ei remissum sit sacramentum, ad similitudinem iudicati, in factum actionem competere, *l. actori, C. de reb. credit. & iureiur.* Sequitur caput septimum nostri tractatus.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM, quid faciendum sit illi, cui iusiurandum delatum est.

1. *Voluntario iureiurando delato, is cui delatum est, potest vel suscipere vel recusare.*
2. *Referre iusiurandum is cui delatum est, non potest.*
3. *Iudiciale iusiurandum is cui delatum est, suscipere cogitur, recusare non potest.*
4. *Is cui in iudicio iusiurandum delatum est, iusiurandum referre potest.*
5. *Is cui iusiurandum refertur, suscipere illud omnino cogitur: Conceptio tamen interdum immutatur, propter diuersitatem personæ.*
6. *Is cui delatum est iusiurandum in iudicio, exigere potest à deferente, vt prior de calumnia iuret.*
7. *Iuramentum calumniæ ab Imperatore Leone in vsum reuocatum est.*
8. *Si deferens iusiurandum, de calumnia iurare recusat, actio ei denegatur.*
9. *Necessarium iusiurandum is, cui defertur à iudice, suscipere cogitur.*

10. Is

10. *Is cui defertur iusiurandum necessarium, non potest exigere, vt aduersarius prius de calumnia iuret.*

11. *An iusiurandum iudiciale à parte parti delatum semper referri poßit. Ibidem explicatur l. Marcellus, §. fin. cum duab. ll. seqq. ff. de action. rer. amotar.*

12. *In honorem matrimonij actio turpis aduersus vxorem marito denegatur.*

13. *Explicatur l. in duobus, §. item Pomponius ait, ff. De iureiurand.*

14. *Quæ sit ratio, quod, cum furti agitur, aut rerum amotarum, iusiurandum deferri non potest.*

15. *Vera eius rei ratio redditur.*

16. *Moribus receptum est, quod in actionibus ex contractibus vel quasi descendentibus iusiurandum deferri potest.*

17. *In actionibus descendentibus ex maleficio, idem receptum non est.*

18. *Explicatur, l. si verò, §. de viro, ff. solut. matrimon. quemadmodum dos petat.*

19. *An in actione iniuriarum iusiurandum referri poßit.*

20. *Explicatur l. vltim. C. de fideicommiß.*

21. *Communis interpretum de eius legis sententia opinio reijcitur.*

22. *Vtrum deferenti, iusiurandum referri poßit,*

poßit, si veritatem ignoret? & ibi deciditur controuersia inter Crauettam & Nattam de eadem quæstione.

23. *Iuramentum calumniæ certis casibus non præstatur à deferente iusiurandum iudiciale.*

24. *An parenti vel patrono iuramentum calumniæ remittatur? Et ibi reiecta lectio Florentina.*

25. *Explicatur l. si patronus, ff. de iureiurand.*

26. *Referuntur aliquot iuris textus, quibus probatur patrono & parenti iuramentum calumniæ remissum esse.*

27. *Ratio redditur, cur parenti itemq; patrono iuramentum calumniæ remittatur.*

28. *Hodierno quoq; iure exceptis patronis & parentibus, de calumnia iurare coguntur omnes, qui iusiurandum deferunt.*

29. *Explicatur l. 2. C. De iureiurand. propter calumn. dand.*

30. *An à Iustiniano id primum introductum sit, quod omnes qui deferunt iusiurandum, de calumnia prius iurare tenentur.*

31. *Consuetudine induci non potest, ne de calumnia iuretur. Consensu autem partium remitti potest.*

32. *Iu-*

32. *Iurandi facultas à parte parti concessa, ad heredem eius cui delatum iusiurandum fuit, non transit.*

33. *Quando locum habeat regula illa, qua dicitur, mortem vim iuramenti habere.*

CONsequens superioribus nüc est, vt videamus, quid faciendum sit illi, cui iusiurandum delatum est. Et quidem si vo- 1.
luntarium iusiurandum delatum alicui fuerit, is cui delatum est iusiurandum, potest si velit iusiurandum suscipere, si non velit iusiurandum suscipere, potest impunè iusiurandum recusare. Sicuti enim liberum est illi, qui controuersiam cum aliquo extra iudicium habet, iusiurandum deferre, vel non deferre: ita liberum quoque est illi, cui iusiurandum extra iudicium defertur, iusiurandum vel suscipere, vel recusare. Et inde iusiurandum, quod extra iudicium defertur, voluntarij iurisiurandi nomen sortitum est, *sicuti, c. 2. sup. expositum est.* Referre ius- 2.
iurandum extra iudicium delatum, is cui delatum est iusiurandum, non potest. Ita enim à Paulo ICto traditum est, *in l. iusiurandum quod ex conuentione, hoc tit. nost.*

Iusiurandum inquit Paulus, quod ex conuentione extra iudicium defertur, referri non potest. Ratio secundum Dd. nostros hæc est, quod extra iudicium inter deferentem & eum, cui iusiurandum defertur, videtur conuenisse, ne is, cui defertur iusiurandum, iusiurandum referret. Sed rectius fortè dixerimus, relationi idcirco extra iudicium locum non esse, quòd ICtis placuerit, reum tunc facultatem referendi iurisiurandi habere, cum necessitas ipsi incumbit iusiurandum suscipere vel soluere. *l. iusiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, cum §. sequen. h. t. n.* At extra iudicium reus non cogitur iusiurandum suscipere vel soluere. Inde igitur relinquitur, quod reus iusiurandum extra iudicium delatum referre quoq; non
3. potest. Si iudiciale iusiurandum alicui deferatur, cogitur is, cui iusiurandum iudiciale defertur, iusiurandum suscipere, recusare iusiurandum non potest. Ita enim prætor inquit: Eum à quo iusiurandum petitur, soluere aut iurare cogam. *l. iusiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, h. t. n.* Alterum itaq; eligat is, cui iusiurandum defertur, aut soluat aut iuret. Si non iurat, soluere cogendus erit à prætore:

Et hoc de iureiurando intelligendum est; quod certam litis definitionem adferre potest. Si iusiurandum non possit adferre certam litis decisionem, non cogitur quis iurare, *vt sup. c. 1. expositum est.* Datur tamen & alia facultas ei, cui in iudicio iusiurandum defertur. Nam si nolit iurare, iusiurandum referre potest, si hoc malit; *d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. datur autem, hoc tit. nost.* Et manifestæ turpitudinis est & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. *l. manifestæ, hoc tit. n.* Ac modestius facit qui iusiurandum refert, quàm ipse qui iurat, deque eo nemo dubitat, vt magnus Papinianus loquitur *in l. illud aut illud, de constitut. pecu.* Is autem cui iusiurandum refertur, velit nolit, iusiurandum relatum suscipere cogitur. Si non suscipiat, nec conditione iurisiurandi vtatur, iudicium ei prætor non dabit. AEquissimè enim hoc facit, cum non debeat displicere conditio iurisiurandi ei, qui detulit, *vt ICtus loquitur in d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. datur autem, hoc tit. nost.* Conceptio tamen iurisiurandi relati displicere potest; Nec enim semper consonans est per omnia referri iusiurandum, quale de- 4. 5.

 fertur

fertur, forſitan ex diuerſitate rerum vel perſonarum quibuſdam emergentibus, quæ varietatem inducant, ideoq; ſi quid tale inciderit, officio iudicis conceptio iuriſiurandi terminari debet, *d.l. iuſiurandum & ad pecunias, §. non ſemper, h.t.n.* Pone ergo, ego defero Iudæo iuſiurandum, vt iuret ſecundum legem Iudæorum, quòd à me non acceperit mutuo centum florenos, Iudæus mihi iuramentum refert, vt iurem ſecundum legem Iudæorum, me ipſi mutuo dediſſe centum florenos. Hîc propter diuerſitatem perſonarum non eſt conſonans, vt iuramentum per omnia referatur quale delatum eſt. Iudæus rectè iurat ſecundum legem Iudæorum. Ego qui Chriſtianus ſum, non item. Mihi religio eſt ita iurare. Hoc ergo caſu iudex ſe interponere & formulam iuriſiurandi concipere debet. *Menochius lib. 2. de arbitr. iud. quæſtio. cent. 2. caſu 189.* Ibi Menochius exemplo quoque declarat, quomodo propter diuerſitatē rerum fieri poſsit, vt non ſit conſonans per omnia iuſiurandum referri quale delatum eſt. Sed id exemplum mihi non ſatis facit, propterea quod iuſiurandum non per omnia
6. ita refertur, vt delatum eſt. Addamus
ſupe-

superioribus, eum cui iusiurandum in iudicio defertur, quique id suscipit, exigere posse à deferente iusiurandum, vt prior de calumnia iuret. Sic enim traditum est *in d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. qui iusiurandum, h t.n.* Qui iusiurandum, inquit Vlpianus, defert, prior de calumnia debet iurare, si hoc exigatur, deinde sic ei iurabitur. Et Imperatores rescripserunt, delata conditione iurisiurandi, prius de calumnia esse iurandum, *l. delata, C. de reb. cred. & iureiur.* Hoc iusiu- 7.
randum calumniæ post Iustiniani Imperatoris tempora, in desuetudinem ferè abierat, & propterea Leo Imperator id in vsum reuocauit *in Nouella 99.* Ibi Leo Imperator inquit: Statuit nostra maiestas, vt secundum veterum legislatorum decretum iuramentorum forma seruetur, & qui ab aduersario auferre iuramentum conatur, quam fidem ex alijs quærit, de moribus suis prius ipse præstet, quod nempe non dolo, sed necessariò & ineuitabili de causa ad deferendum iusiurandum procedat. Existimo enim, cum ambo ita ad iurandum adigantur, aut dilucidiorem in iuramentis exituram veritatem, aut hos aliquo modo

reprimendos, neq; tam promptè alacriq; gressu, atq; nunc progredi videntur, ad deferendum iusiurandum prodituros.
8. Quod si deferens iusiurandum de calumnia iurare nolit cum hoc exigitur, actio ei denegabitur. Ita enim Vlpianus inquit: Si non fuerit remissum iusiurandum ab eo qui detulerit, sed de calumnia non iuratur, consequens est, vt debeat denegari ei actio. Sibi enim imputet qui processit ad delationem iurisiurandi, nec prius de calumnia iurauit, vt sit iste remittenti similis, *l. si non fuerit, h. t. n.* Sed etsi deferens iusiurandum, longiorem moram trahat in præstando iuramento calumniæ, & interim qui iuramentum suscepit & paratus est iurare, eo qui detulit prius de calumnia iurante, fuerit mortuus, iuramentum, vt puto, pro præstito habebitur, per regulam iuris. Mors vim iuramenti habet. *Paul. de Cast. cons. 302. incipiente: ad benè examinandum, num. 3. lib. 1. Decius col. 2. C. de edendo. Cravet. cons. 158. num. 7. parte. 1.* Et ita meritò sentiendum est, cum per eum, cui iuramentum delatum est, non steterit, quo minus iuramentum præstaretur.
9. Si necessarium iusiurandum à iudice alicui

cui deferatur, debet is cui iusiurandum delatum est, iusiurandum suscipere. Si non suscipiat, condemnabitur. *l. generaliter. C. de reb. cred. & iureiur.* sicuti paulò post latius explicabitur. Nec enim hoc iusiurandum referri potest. Aduersario non potest referri, quia aduersarius iusiurandum non detulit; Iudici quoque non refertur, quia de re iudicis non agitur. Ob eandem causam, is cui defertur 10.
iusiurandum necessarium non potest exigere, vt de calumnia prius iuretur. Nam vel aduersarius cogeretur de calumnia iurare, vel iudex. At aduersarius non detulit iusiurandum, æquum igitur non est, vt aduersarius hoc casu iuramentum calumniæ præstet. Rursus iudex non cogitur iurare de calumnia, quia negotium, de quo agitur, iudicem non concernit, sed partem aduersam. In solo itaque iuramento iudiciali, relatio iurisiurandi & iusiurandum calumniæ, locum habent. Sed monendum nunc est, non 11.
semper iusiurandum iudiciale à parte parti in iudicio delatum, referri posse. Nam si furti agatur, aut rerum amotarum, & is qui agit, deferat parti reæ iusiurandum, iusiurandum referri non po-

 test.

test. *Ita traditum est in l. Marcellus, §. fin. cum 2. ll. sequent. de actio. rer. amota. in d. l. Marcellus, §. fin.* Vlpianus ait, si quis delatum sibi iusiurandum referre velit, non videtur prætor permisisse. Et subijcit Paulus *in l. proximè sequenti*, non magis quàm si quis ei, qui furti agat, iusiurandum referat, an ipse fur sit. Et postea Vlpianus *in l. sequenti* rursus ait. Ideo Labeo scribit, mulieri non esse permittendum referre iusiurandum, & ita edictum ordinatum videtur, *l. ideo, de actio. rer. amot.* Pone ergo, Titius agit cum Berta muliere quæ vxor eius fuit, actione rerum amotarum, quia dicit constante matrimonio Bertam res aliquas sibi amo-
12. uisse. Actione furti agere non potest, quia actio furti famosa est, & in honorē matrimonij, turpis actio aduersus vxorē negatur, *l. 1. & 2. de actio. rer. amot.* cōpetit igitur marito actio aduersus vxorē non περὶ κλοπῆς sed περὶ ὑφαιρέσεως vt Constantinus Harmenopulus eleganter loquitur, hoc est, non furti actio, sed actio rerum amotarum. Titius defert Bertæ iusiurandum, vt Berta iuret, se res, de quibus lis est, non amouisse. Hîc Berta Titio iusiurandum referre non potest, vt Titius iuret, Bertam,

quæ

quæ vxor ipsius fuit, res de quibus lis est, amouisse, *d. l. Marcellus, cum duab. ll. sequen. ff. Rerum amotar.* Rursus pone, Titius agit cum Sempronio actione furti, & affirmat, Sempronium furtum sibi fecisse, defertque Sempronio iusiurandum, vt iuret se furtum non fecisse. Hoc casu Sempronius Titio iusiurandum referre non potest, vt Titius iuret, quod Sempronius furt fit, *d. l. non magis, de actio. rer. amot.* Non obstat. *l. in duobus, §. item Pomponius* 13
ait, h.t.n. vbi dicitur, eum qui furti agit furtum sibi factum alicuius rei iurare posse. Nam iurare possum, furtum mihi esse factum alicuius rei à Sempronio, Sempronio mihi iusiurandum deferente. At si ego Sempronio iusiurandum deferam, vt iuret, se furtum non fecisse, Sempronius iusiurandum mihi referre non potest. De ratione quæritur, quare cum furti agitur, aut rerum amotarum & iusiurandum defertur, iusiurandum referri non posit. Existimant quidem 14
rationem hanc esse, quod æquius est, reum cum quo agitur furti, aut rerum amotarum, de suo facto iurare, quàm actorem, qui veritatem ignorat, & certò scire non potest, vtrum reus furtum fecerit

aut res amouerit, sed tantum suspicatur, eum, cum quo agit, furem esse aut res amouisse. Et quamuis ICtus *in d. l. Marcellus, de actio. rer. amota*, hac ratione vtitur, quod iniquum est, de alieno facto alium iurare; tamen de patre aut herede furis vel amouentis, cum quo agitur, loquitur, qui iurare non cogitur, nihil diuortij causa amotum esse, aut nihil esse subtractum, quia iniquum est de alieno facto alium iurare, *sicuti sup. c. 4. latius expositum est.* Non loquitur ICtus de patre aut herede, cui iusiurandum refertur; Præterea si ei qui furti agit & iusiurandum defert, propterea iusiurandum referri non potest, quia iniquum est, vt de alieno facto, quod probabiliter ignorare potest, iuret, ex hac ipsa ratione efficietur, ei, qui furti agit, iusiurandum deferri non posse, vt iuret furtum sibi esse factum. At hoc falsum est. Ei namque qui furti agit, iusiurandum deferri potest, vt iuret furtum sibi esse factum, *d. l. in duobus, §. item Pomponius ait, hoc titulo nostro.* Inde igitur apparet, hanc rationem, iniquum est, de alieno facto aliquem iurare, veram rationem non esse, quare iusiurandum in actione furti aut rerum

amotarum referri non posſit. Ratio ergo 15
vera petenda eſt *ex d. l. Marcellus, §. fin. & d. l. ideo, de actio. rer. amot.* Ideo inquit Vlpianus, in actione rerum amotarum, iusiurandum delatum referri non poteſt, quia prætor non videtur hoc permiſiſſe, *d. l. Marcellus, §. fin.* Sic idem Vlpianus inquit, Mulieri non eſt permittendum referre iusiurandum, quia ita edictum ordinatum videtur *d. l. ideo, de actio. rerum amot.* His verbis, quia prætor hoc non videtur permiſiſſe, item his verbis, ita edictum ordinatum videtur, oſtendit ICtus veram rationem & cauſam, quare cum de rebus amotis aut furti agitur & iusiurandum defertur, iusiurandum referri non posſit. Ratio & cauſa hæc eſt, quia prætor non permiſit iusiurandum referre.
Vt hæc ratio rectiùs intelligatur, ſciendum eſt, moribus receptum eſſe, quod in actionibus deſcendentibus ex contractibus vel quaſi, iusiurandum deferri poteſt. Sic enim Caius ICtus tradidit *in l. 1. h. t.* his verbis: Maximum remedium expediendarum litium in vſum venit iurisiurandi religio. Nota hæc verba Caij, in vſum venit, quibus ſignificat, vſu aut moribus receptum eſſe, vt liceat iusiurandū

deferre, & hoc, vsu aut moribus rece-
17. ptum est, in contractibus vel quasi. In actionibus descendentibus ex maleficio, qualis est actio furti, rerum amotarum, vsu aut moribus non est receptum, quod iusiurandum deferri potest; sed nominatim lege aut edicto permissum fuit iusiurandum deferre. Sic nominatim lex 12. tabul. permisit, de furto pacisci, *l. iuris gentium, §. si paciscar, ibi, nam & de furto pacisci lex permittit, l. si tibi, §. 1. de pact. quemadmodum in tit. de pact. latius explicaui.* At lex quæ permisit de furto pacisci & iusiurandum in actione furti aut rerum amotarum deferre, eadem lex non permisit iusiurandum in actione furti aut rerum amotarum delatum referre. Et propterea iusiurandum delatum in actione furti aut rerum amotarum referri non
18. potest. Hoc cum omissum sit à lege, pro omisso quoque habemus. *l. si vero, §. de viro, solut. matrim. quemadmo. dos pet.* Ibi Vlpianus inquit de viro heredeque eius lex tantum loquitur, de socero successoribusque soceri nihil in l. scriptum est, & hoc Labeo quasi omissum annotat. In quibus igitur casibus lex deficit, non erit nec vtilis actio danda. In actione igitur

tur furti & rerum amotarum, iusiurandum non refertur. Sic dicendum videtur, in actione quoque iniuriarum, iusiurandum referri non posse. Nusquam quidem hoc disertè traditum est, sed ex superiori ratione efficitur. Ratio Vlpiani hæc est. Ideo iusiurandum referri non potest, quia prætor hoc non permisit. Sic l. Cornelia, de iniurijs permittitur actori iusiurandum deferre, vt reus iuret, iniuriam se non fecisse, *l. lex Cornelia*, §. *hac lege*, *l. non solum*, §. *proinde*, *de iniurijs*. Nota quod Vlpianus ait, l. Cornelia permitti actori iusiurandum deferre. Lex igitur Cornelia nominatim permisit delationem iurisiurandi. At eadem lex non permisit relationem iurisiurandi. Ea de re nullum extat vestigium. Inde igitur videtur dicendum, Iusiurandum in actione iniuriarum referri non posse, sicuti in actione furti aut rerum amotarum iusiurandum referri non posse diximus. His casibus adijciunt interpretes nostri *l. vlt. C. de fideicom.* censentque in specie eius legis, iusiurandum in iudicio delatum referri non posse. Species hæc est. Sempronio fideicommissum est relictum sine scriptura & præsentia testium. Sempronius

19.

20.

nius elegit heredis iuramentum vel legatarij vel fideicommissarij, si ab eo fideicommissum relictum sit. Hoc casu heres vel legatarius vel fideicommissarius necesse habet, prius iureiurando de calumnia præstito, sacramentum subire. Recusare heres, vel legatarius vel fideicommissarius iusiurandum non potest, quod si fecerit, omnino ad satisfactionem compelletur. Hæc sunt Imperatoris nostri Iustiniani verba, ex quibus interpretes colligunt, heredem vel legatarium vel fideicommissarium, cui iusiurandum delatum est, iusiurandum referre non
21. posse. Sed hæc interpretum nostrorum sententia probanda non est. Nec enim Iustinianus de relatione iurisiurandi loquitur, sed de recusatione & aliud est iusiurandum delatum referre, longè aliud iusiurandum delatum recusare. Iusiurandum delatum recusari non potest impunè, at referri potest impunè & cum Iustinianus *in d.l. fina. C. de fideicom.* non neget iusiurandum referri posse, omnino admittendum est, relationem iurisiurandi in specie dictæ legis finalis locum habere.
22. Ex his decidi potest controuersia quæ est inter Crauettam & Nattam, de eo, vtrum defe-

deferenti, iusiurandum referri posſit, ſi veritatem ignoret, Crauetta cenſuit non poſſe *in conſ. 203.* eiuſq; ſententiam probauit Menochius *de arbitra iud. quæſtio. lib. 2. cent. 2. caſu 189. num. 8.* Natta contrarium voluit *in conſ. 35. lib. 1.* ab eoq; non diſſentit Purpuratus *in l. manifeſta, h. t. n.* Et Nattæ ſententia de iure verior videtur, propterea, quod in actione furti & rerum amotarum ſpecialiter proditum eſt, relationi locum non eſſe. Aliàs ergo referri poteſt iuſiurandum. Nec verum eſt, quod in actione furti & rerum amotarum, ideo deferenti iuſiurandum non refertur, quia deferens veritatem ignorat, ſicuti ſupra expoſitum eſt. Porrò quemadmodum iuſ- 23.
iurandum certis caſibus referri non poteſt: ita quoque iuramentum calumniæ quod deferentem iuſiurandum præſtare oportere diximus, certis caſibus non præſtatur. Hoc enim iuramentum parenti & patrono remittitur. *l. iuſiurandum & ad pecunias, §. qui iuſiurandum defert, h. t n.* Ibi in Noricis libris legitur, hoc iuſiurandum de calumnia, æquè patrono & parentibus remittitur. Hanc lectionem Græci probarunt *vt in Synopſi Baſilicon lib. 22. tit. 5. c. 32. videre licet, vbi Græci ita habent:*

ὁ ἐπάγων πρῶτος ὄμνυσι τὸν περὶ συκοφαντίας ἐὰν ἀπαιτηθῇ ὃν οὐκ ὄμνυσι πατὴρ ἢ πάτρων, *hoc est, qui iusiurandum defert, prior de calumnia iurat, si hoc exigatur, quod iuramentum*
24. *calumnia non praestat pater aut patronus.* Et quamuis in ff. Florentinis *in d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. qui iusiurandum defert, h.t.n.* dicatur, iusiurandum de calumnia patrono & parenti non remitti. Sic namque in ff. Florentinis legitur, hoc iusiurandum de calumnia, neque patrono neque parentibus remittitur: tamen hac in parte, pandectis Florentinis, fidem adhibendam non esse, Iacobus Cuiacius *lib. 9. obseruat. c. 37.* monuit, & sequentia loca in ff. Florentinis cum Noricis libris
25. consonantia, satis ostendunt. *In l. si patronum, h.t.n.* dicitur, si patronus deferat iusiurandum libertæ suæ, vt iuret, se constante matrimonio res non amouisse, de calumnia non debet iurare. Hæc lex est Vlpiani ICti, eiusdem Vlpiani est quoque d. l. iusiurandum & ad pecunias, hoc t. n. Et cum Vlpianus *in d. l. si patronus*, affirmet, patronum de calumnia iurare non debere, verisimile est, illud ipsum quoq; Vlpianum tradidisse *in d. l. iusiurandum & ad pecunias, §. qui iusiurandum defert, hoc tit. n.*

Sic

Sic idem Vlpian. *in l. 7. de obsequijs, parenti-* 26.
bus & patronis præstandis, docet, patronos deferentes iusiurandum, de calumnia non iurare. Idem quoque Vlpianus *in l. qui bona fide, §. penult. de damno infecto*, tradit, eum qui nomine alieno caueri sibi damni infecti postulat, iurare debere, non calumniæ causa id eum, cuius nomine cautum postulat, fuisse postulaturum. Et subijcit postea Vlpianus, sed si eius nomine quis postulet, sibi damni infecti caueri, qui si ipse postularet, de calumnia iurare non compelleretur, veluti patronus aut parens, dicendum est locum iurijurando non esse, atque ita Vlpianus rursus apertè significat, patronis & parentibus iusiurandum calumniæ remitti. Paulus quoque ICtus *in l. de die ponenda, §. iubetur, qui satisdare cogantur*, docet de calumnia iurare debere eum, qui in municipium euocat, quod non vexandi aduersarij causa in municipium euocet, cum Romæ posſit satisdare. Et subijcit Paulus, hoc iusiurandum de calumnia, parentibus & patronis remitti.
His testimonijs addenda est ratio, ob 27.
quam placuit parentibus & patronis iusiurandum calumniæ remitti debere. Ra-

tio hæc est. Liberto & filio semper honesta & sancta persona patris ac patroni videri debet, *l. liberto, de obseq. parent. & patro. præstand.* & libertus patronum, filius patrem venerari debet *l. 1. eod.* & patrono à liberto, parenti à filio honos tribuendus ac habendus est, *l. 2. & 7. eod. tit.* Sed liberto & filio, non est honesta & sancta persona patroni & patris, nec libertus patronum, filius patrem veneratur, patrono quoq; à liberto, parenti à filio, honos non tribuitur, quando libertus à patrono, filius à patre, iuramentum calumniæ, siue vt græci loquuntur συκοφαντίας exigit. Imo libertus & filius contra pietatem patrono & parenti debitam, *l. penult. de obseq. parent. & patr. præstan.* faciunt, si de patroni vel patris calumnia queri velint. Rectè igitur placuit, ne libertus & filius audiantur, si à patrono vel parente iusiurandum deferente, calumniæ aut συκοφαντίας iuramentum exigere velint.

28 Parentibus & patronis exceptis, reliqui omnes, qui iusiurandum deferunt, de calumnia iurare coguntur, si hoc exigatur. Idque etiam hodie obtinet, nec immutatum est *per l. 2. C. de iuretur. propter calumn. dando, & Nouel. 50.* quamuis multi

con-

contrarium sentiant, *Boerius decisio. 243. nu.1* *In d. l. 2.* Iustinianus constituit, vt in 29
initio litis vtraq; pars iuret, se non calumniandi animo litem aggredi. Actor quidem se non calumniandi animo litem mouere, Reus se non calumniandi animo resistere atq; reluctari. Hoc ipsum repetitur *in d. Nouell. 50. circa finem.* Et quam- 30
uis vtrobiq; Iustinianus videatur innuere, à se hoc primum introductum & constitutum esse, tamen etiam ante Iustinianum receptum fuisse videtur, vt tam actor quàm reus in initio litis de calumnia iurarent. *Intelligitur hoc ex l. inter coheredes, §. qui familiae, famil. hercisc. Ibi Paul. ICtus inquit: Qui familiae herciscundae & communi diuidundo & finium regundorum agunt, & actores sunt & rei, & ideo iurare debent, non calumniae causa litem intendere, & non calumniae causa ad inficias ire.* Et quod notan- 31
dum est, consuetudine induci non potest, ne de calumnia iuretur. *Ferrariens. pract. in forma libelli pro actione reali, in verbis per sacramentum calumniae, nu. 8. Menoch. lib. 1. de arbitr. iudic. quaest. quaestio. 20. nu. 4.* Consensu ta- 32
men partium iuramentum calumniae, rectè remittitur, *Menoch. in d. l. nu. 5.* Addit Iustinianus *in d. Nouel. 50.* vtramq; partem

in initio litis iurare debere, se differendi negotij causa, probationes ab aduersario minimè petituram. Duplex igitur iuramentum in initio litis præstatur, sed neutrum iuramentum est de eo, quod quis ab aduersario in iudicio calumniæ causa iuramentum exigere, aut petere nolit, & propterea non obstantibus duobus istis iuramentis de calumnia iurare cogitur, qui in iudicio ab alio iusiurandum exigit siue petit. Sic Leo Imperator *in Nouell. const. 97.* iuramentum calumniæ, quod in initio litis præstatur, cum nonnihil in desuetudinem abijsset, in vsum reuocauit, & constituit, vt litigatores iurent, se veritatem mendacio prælaturos, nec vllo modo recta via declinata, in obliquam fraudis semitam concessuros. Idem tamen Leo *in Nouel. const. 99.* vt supra quoq; monui, vult, vt iuramentum deferens, prior de calumnia iuret. Iuramentum itaque calumniæ in initio litis præstitum non facit, quominus de calumnia iurare cogatur qui alteri in iudicio
32. iusiurandum defert. Ad extremum verbo vno monendum est, iurandi facultatem à parte parti concessam, ad heredem illius cui delatum fuit iusiurandum non

transire. Vt Titius detulit Sempronio iusiurandum & Sempronius mortuus est antequam præstaret iusiurandum, heres Sempronij iurare atque ita liberari non potest. Ratio est, quia Titius qui detulit iusiurandum, probauit fidem & integritatem defuncti, non etiam heredis. Nec habet hîc locum regula. Mors vim iuramenti habet, cuius supra meminimus, quia hîc est quod imputari potest ei, cui delatum est iuramentum, quod non iurauerit. Aliud dicimus, si iusiurandum à lege, vel ab eius ministro, hoc est, à iudice vel etiam à statuto delatum alicui fuerit. Tunc facultas iurandi ad heredem transit, quoniam lex semper loquitur, *l. Arriani, C. de heret.* & æquè nunc respicit personam heredis, ac olim defuncti respiciebat. Hæc est nostrorum interpretum doctrina, *Bald. in l. in bonæ fidei, & l. generaliter, C. de reb. cred. Plotus in l. si quando, C. vnde vi, §. 34. Menoch. lib. 1. de arbit. iudic. quæstio. quæst. 68. nu. 30. Roma. cons. 290. nu. 5. Tiraquel. de præscriptio. §. 2. gl. vn.* & hæc est communis sententia, *vt Mandosius notauit apud Roman. d. cons. 290. in verbo dicendum.* Et hæc de septimo capite. 33.

CAPVT OCTAVVM,
de vi & effectu iurisiurandi.

1. *In quo consistat vis & effectus iurisiurandi.*
2. *Explicatur l. 2. ff. de iureiurand.*
3. *Transactio lites finit itemq́; res iudicata.*
4. *Iusiurandum instar iudicij habet.*
5. *Iusiurandum loco solutionis est, item ex numero nouandi delegandi, & etiam loco acceptilationis.*
6. *Iusiurandum lites terminat, & interposito iureiurando ab omni lite disceditur.*
7. *Explicatur l. ait prætor 7. De iureiurand.*
8. *Explicatur §. æquè si debitor, Instit. De exceptionib.*
9. *Si iuratum est denegatur actio non solum in reum qui iurauit, verum etiam in successores eius & fideiussores.*
10. *A fideiussore exactum iusiurandum etiam reo prodest, vbi de ipso contractu, vel ipsa re iusiurandum interpositum est.*
11. *Quando de ipso contractu vel de re ipsa agi dicatur, & quando de persona.*

12. Quæ

12. *Quæ conditio iuramento fideiussoris adycitur, eadem adscribitur iuramento rei.*
13. *Explicatur l.vlt.ff.De iureiurand.*
14. *Pupillus mutuam pecuniam accipiens sine tutore naturaliter obligatur.*
15. *Iusiurandum à reo siue debitore exactum efficit vt pignus liberetur.*
16. *Exceptione iurisiurandi actor repellitur, non solum si eadem, qua antea vsus est, actione, vti velit, verum etiam si alia, si modo eadem quæstio in iudicium deducatur. Ibid. explicatur l. in duobus 28. ff. De iureiuran.*
17. *Certi condictio ex quibus causis competat.*
18. *Si alia quæstio in iudicium deducatur, iusiurandum antea reo delatum, ei nihil prodest.*
19. *Si reus de constituta pecunia delato sibi iureiurando iurauit exceptione vti potest, si iterum de constituta conueniatur, secus si de sorte.*
20. *Quis sit effectus iurisiurandi ab actore præstiti.*
21. *Actori iuranti, non solum in reum ipsum actio datur, sed etiam in eos qui in locum eius successerunt.*
22. *Quænam sit actio, quæ actori iuranti in reum iusiurandum deferentem competit.*

23. *Inter ICtos constat competere actionem actori reo deferente iuranti, sed quænam illa actio sit non exprimitur.*

24. *Alia sententia Vlpiani existimantis, non nouam actionem, sed veterem ex anteriori contracta competere.*

25. *Alia Vlpiani sententia, quod scilicet vtilis actio competat, quæ etiam à Iuliano & Tryphonino probatur.*

26. *Sententia Diocletiani & Maximiani Imperatorum, existimantium in factum actionem hoc casu dandam.*

27. *Sententia interpretum de hac quæstione.*

28. *Quando actor formiter iurare dicatur, & quando informiter.*

29. *Hugonis Donelli de eadem quæstione sententia.*

30. *Decisio superioris quæstionis ipsius auctoris.*

31. *Ex iureiurando iure ciuili obligatio & actio non descendit, nisi in certis casibus.*

32. *In quib. conueniant pactum & iusiur.*

33. *Explicatur l. si quis pro eo, ff. De fideiussoribus.*

34. *Actori iuranti extra iudicium vel in iudicio, nulla iudicis sententia secuta, actio indi-*

iudicati directa vel vtilis non competit, sed ei competit actio vetus.

35. *Refutatur argumentum quo probari videtur, ex iureiurando dari actionem.*

36. *Si actor iurauit in iudicio, & iudicis condemnatio secuta fuerit, datur actori vtilis iudicati actio.*

37. *Vtiles actiones dicuntur accommodari.*

38. *Cur actio vtilis iudicati, actio in factum dicatur?*

39. *Cur actori qui in iudicio reo deferente iurauit, detur actio iudicati vtilis & non directa?*

40. *Unde actio iudicati vtilis dicatur?*

41. *Cur actio vtilis dicatur dari ad exemplum, vel similitudinem iudicati.*

42. *Reus iusiurandum deferens non potest postea à subsecuta iudicis sententia appellare.*

43. *Accommodari quid dicatur propriè?*

44. *Si actor iurauerit in iudicio, iudice, iuramentum deferente, sententia iudicis subsecuta datur in reum actio iudicati directa.*

45. *Cur actori iuranti in iudicio, iudice, vel reo deferente, detur actio iudicati directa vel vtilis, & non actio vetus.*

46. *Quibus casibus actori iuranti reo conde-*

mnato datur actio iudicati directa vel utilis, iisdem casibus reo qui iurauit & absolutus est, datur exceptio iudicati directa vel vtilis.

47. Lites iureiurando finitæ ne periurij quidem aut instrumentorum nouiter repertorum prætextu retractari possunt.

48. Cur causa iureiurando decisa ne periurij quidem prætextu retractari posit.

49. Explicatur l. fin. C. De reb. credit. & iureiurand.

50. In l. 1. C. de reb. credit. & iureiurand. verba finalia à Triboniano sunt adiecta.

51. Non solum causa iureiurando decisa periurij prætextu retractari non potest, sed eo amplius, is qui peierauit non potest ob commissum periurium puniri.

52. Vtrum is qui per DEVM peierauit solum DEVM vltorem habeat, non etiam principem vel magistratum.

53. An is qui per principem iurauit pœna corporali affligi posit? Ibidem conciliatur l. 2. C. De reb. cred. & iureiurand. cum l. Si duo patroni 13. §. final. ff. eod.

54. Cur causa iureiurando decisa non posit retractari sub prætextu instrumentorum nouiter repertorum.

55. De

55. *De quonam iureiurando intelligendum sit, quod dictum est causam iureiurando decisam nullo modo retractari.*

56. *Explicatur l. admonendi, 31. ff. de iureiurand.*

57. *Constitutiones quibus permissum olim fuit, causas iureiurando decisas de nouo agere in iure nostro non extant.*

58. *ICti quando modestè aliquid affirmare volunt, vtuntur verbo videtur, aut videamus, aut videndum est.*

59. *Quomodo causa reddatur dubia inopia probationum.*

60. *Secundus casus quo causa redditur dubia.*

61. *Tertius casus quo causa dubia redditur.*

62. *Chirographum est priuata Scriptura & ad obligationem nihil facit.*

63. *An Chirographo per comparationem literarum vt olim, ita nunc quoq; fides acquiratur.*

64. *An l. comparationes 20. C. de fid. instrumentor. correcta sit per Nouell. 50.*

65. *Prætor dicitur emendare ius vetus non corrigendo, sed supplendo.*

66. *Si ex scriptura Rei plena literarum similitudo sumi potest, tunc scriptura quam rem negat, planè probat.*

67. Apo-

67. *Apocha quid sit?*
68. *Antapocha quid sit?*
69. *Quartus casus quo causa dubia redditur.*
70. *Libri rationum Mercatorum tum plenè probant, si aliquo in loco consuetudo est, vt libris rationum Mercatorum plenè credatur.*
71. *Iudex etiam in re dubia non temerè debet accedere ad iusiurandum deferendum.*
72. *Si actor semiplenè causam suam probans non possit veritatem noscere ex sensu aliquo corporeo, tunc iudex non potest ei deferre iusiurandum necessarium in supplementum probationis.*
73. *Idemq; obtinet si actor non sit persona legalis, sed vilis aut infamis.*
74. *Si causa magni sit ponderis iudex ad iusiurandum necessarium deferendum recurrere non potest.*
75. *Quando causa dicatur magna? quando item parua & exigua?*
76. *Dissoluitur argumentum quo probari videtur, iudicem in causa magni ponderis iusiurandum in supplementum probationis deferre posse.*
77. *Fauore matrimonij receptum est, vt iudex possit*

poßit iusiurandum in supplementum probationis actori deferre, si de contrahendo eo agatur.

78. *Iusiurandum necessarium ita demum à iudice deferri potest actori semiplenè probanti, si reus defensionem suam semiplenè non probauerit.*

ETsi ex ijs, quæ suprà, maximè cap. 1, dicta sunt, vim, effectū & potestatem iurisiurandi satis intelligimus: tamen hoc loco ea de re aliquanto pleniùs & accuratiùs agemus. Sciendum 1.
ergo est, vim & potestatem iurisiurandi omnem in eo esse, quod iusiurandum litibus finem imponit. Hanc vim & potestatem iurisiurandi exprimunt ICti statim in initio huius tituli nostri. Etenim Caius ICtus *in l. 1. h. t. n.* inquit: Maximum remedium expediendarum litium in vsum venit iurisiurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate iudicis deciduntur controuersiæ. Hic Caius in initio legis iusiurandum vocat remedium expediendarum litium. Et in fine dicit, iureiurando decidi controuersias. Sic Paulus *in l. 2. h. t. n.* tradit, 2.

quod iusiurandum speciem transactionis continet, & per iusiurandum transigitur, *l. quod si deferente, de dolo malo*, maioremq; habet auctoritatem, quàm res iudicata. His quoque verbis, vis & potestas iurisiurandi ostenditur, & quidem eadem vis & potestas, quæ superiori lege expressa fuit. In superiori lege Caius dixit, Iusiurandum lites expedire & decidere controuersias. *In d. l. 2.* Paulus tradit Iusiurandum continere speciem transactionis & habere auctoritatem rei iudicatæ, quod idem est, ac si Paulus dixisset, Iusiurandum lites expedire & controuersias de-
3. cidere. Nam transactio lites finit, similiter res iudicata litibus finem adfert, *tot. tit. de transactio. & de re iudic.* Et quia iusiurandum speciem transactionis continet & habet auctoritatem rei iudicatæ, iam nemo non intelligit, iusiurandum li-
4. tes finire. Eodem tendit quod iusiurandum dicitur instar iudicij habere, *in l. qui iurasse, in fine h. t. n.* Instar iudicij habet iusiurandum, quia vt controuersiæ in iudicio deciduntur, ita deciduntur controuersiæ iureiurando. Et iudex in sua causa constituitur, cui iusiurandum defertur, *l. 1. in princ. quarum rerum actio non datur.*

Sic

Sic ad exprimendam vim iurisiurandi 5.
pertinet, quod dicitur iusiurandum loco
solutionis cedere, *l. iusiurandum etiam, l. iusiurandum, quod ex conuentione, §. si tutor, l. in duobus, §. 1. l. tutor, §. idemque, hoc tit nost.* & iusiurandum esse ex numero nouandi, delegandiuè *d. l. qui iurasse, §. fin. hoc tit. no.* & denique iusiurandum esse simile acceptilationi, *l. iusiurandum à debitore, hoc tit.* Solutionis loco est iusiurandum, quia vt solutione eius quod debetur; lis finitur & omnis obligatio tollitur, naturalis & ciuilis: ita iureiurando lis finitur, & tollitur omnis obligatio naturalis & ciuilis, *sicuti c. 3. suprà latius expositum est.* Ex numero nouandi est iusiurandum, quia vt nouatione prior obligatio perimitur, *l. 1. de nouatio.* ita iureiurando perimitur lis, & omnis obligatio tollitur. Ex numero delegandi est iusiurandum, quia iusiurandum liberat debitorem & litem finit, sicuti delegatio debitorem liberat, alio reo creditori dato, *l. delegare, de nouatio. & delegatio.* pro præstatione enim iusta delegatio est, *l. quod debetur, in fine de peculio,* & soluit, qui reum delegat, *l. quamuis, §. interdum, ad SCtum Velleia.* & quamuis delegatus

non sit soluendo, non tamen propterea datur recursus aduersus eum qui delegauit, *l. 3. §. fin. C. de nouatio. & deleg.* cum bonum nomen faciat creditor qui admittit debitorem delegatum, *l. inter causas, §. abesse, mandati.* Simile est iusiurandum acceptilationi, quia vt acceptilatio liberationem parit, *l. 1. de acceptil.* ita
6. iusiurandum inducit liberationem. Iusiurandum igitur lites terminat & interposito iureiurando ab omni controuersia, & ab omni contentione disceditur, *l. si quis iurasset, de condict. indeb. l. iusiurandum à debitore, h. t. n.* siue actor reo, siue reus actori iusiurandum detulerit. Sed ea de re nunc separatim agemus. Si reus actore iusiurandum deferente iurauit, eius rei de qua iusiurandum delatum fuerit, in
7. ipsum actio non datur. Ita enim edicto prætoris cautum fuit, vt Vlpianus tradit *in l. ait prætor, 2. h. t. n.* vbi edicti verba Vlpianus explicat. Si ergo Titius Sempronio iusiurandum deferente iurauit, se centum quæ petuntur, non debere, posteaquam iuratum est, Sempronio in Titium denegatur actio, *l. nam posteaquam,*
8. *h. t. n.* Nec obstat quod Iustinianus *in §. æquè si debitor, Instit. de except.* affirmat, debito-

bitorem qui iurauit creditore deferente nihil se dare oportere, adhuc obligatum permanere, sed defendi per exceptionem iurisiurandi, quodque sæpiùs ICti sub hoc titulo nostro, repetunt, reum iurantem acquirere exceptionem sibi. Nam si constet, iuratum esse, denegatur actio. Si verò controuersia erit, id est, si ambigatur, an iusiurandum datum sit, exceptioni locus est, *d.l. nam posteaquam h.t.n. sicuti c.3. sup. latius me exposuisse memini.*

Denegatur verò actio posteaquam iuratum est, non solum in reum, qui iurauit, 9.
verumetiam in eos, qui in locum eius, cui iusiurandum delatum est, successerunt, etiamsi in rem successerint, *d. l. ait prætor 2. §. fin. cum l. sequen. h. t. n.* Quinimo quod reus iurauit, etiam fideiussori proficit. Et contrà à fideiussore exactum iusiurandum prodesse etiam reo Cassius & 10.
Iulianus aiunt. Nam quia iusiurandum in locum solutionis succedit, hîc quoque, hoc est, hoc casu, quando à fideiussore iusiurandum exactum est, eodem loco habendum est, hoc est, perinde habendum est iusiurandum, ac si fideiussor soluisset, sicque iusiurandum fideiussoris prodest reo, si modò ideo interpositum

est iusiurandum, vt de ipso contractu & de re, non de persona iurantis ageretur, *l. in duobus, §. 1. h. t. n.* Aut *vt dicitur in l. 1. § fideiussor, quarum rerum actio non detur*, si in rem iurauit, non si iurauit de sua persona tantùm. De ipso contractu & de re agitur, quando à fideiussore exigitur iusiurandum, vt iuret, se pecuniam, cuius nomine ipse tanquam fideiussor conuenitur, dare non oportere. De persona iurantis agitur, quando in hoc à fideiussore iusiurandum exigitur, vt iuret se non fideiussisse. Priori casu iusiurandum fideiussoris prodest reo, posteriori non pro-
12. dest, *l. vlt. § fideiussor, h. t. n.* Et quæ conditio fideiussoris iuramento adijcitur *in d. l. in duobus, § 1. h. t. n.* eadem conditio adscribitur iuramento rei siue debitoris *in d. l. vlt. h. t. n.* Et rei siue debitoris iusiurandum prodest fideiussori, si modò ideo interpositum est iusiurandum, vt de ipso contractu & de re, non de quo alio ageretur, *d. l. vlt. hoc titulo nostro.* Ibi à Pomponio ICto
13. talis proponitur facti species. Creditor qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat, iusiurandum pupillo detulit vt iuraret se dare non oportere. Pupillus iusiurandum suscepit & iurauit, se

dare non oportere. Creditor postea eandem pecuniam à fideiussore pupilli petijt. Quæritur an creditor excludendus sit exceptione iurisiurandi, hoc est, quæritur, an fideiussor creditorem exceptione iurisiurandi à pupillo præstiti, repellere posit. Pomponius refert Iulianum ICtum, eam rem apertius explicasse, ad hunc modum: Aut controuersia fuit inter creditorem & pupillum de pecunia mutua, & creditor dixit, se pecuniam mutuam pupillo dedisse, pupillus negauit se pecuniam mutuam accepisse, ac conuenit inter creditorem & pupillum, vt ab omni conditione discederetur, si pupillus iurasset, se pecuniam mutuam dare non oportere. Et hoc casu pupillo iurante, se dare non oportere, naturalis obligatio pactione tollitur, & soluta pecunia repeti potest. Ait ICtus naturalem obligationem tolli pactione, hoc est, iureiurando. Iusiurandum ex pactione venire dicitur *in l. 1.h t.n.* & ex consensu partium, *l 1.C.de reb.cred.* vel ex placito partium, *l. cum proponas, C. eod.* & propterea iusiurandum quandoq; pactũ siue pactio appellatur, *l. tutor, § itemq; & d.l.fin.h.t.n* Et pactione siue iureiurando naturalis obligatio tollitur.

14 Loquitur ICtus de naturali obligatione, quia pupillus qui mutuam pecuniam accipit sine tutore, naturaliter obligatur, *l.1.de nouatio. l.si eius pupilli, ad Trebellia. l.si pupillus, ad l. Falc.* quatenus scilicet locupletior factus est, *l.naturaliter, §.fin.de condict.indeb.l. pupillus, de auct. tuto.* Hæc naturalis obligatio, vt iusto siue nudo pacto tollitur: ita tollitur quoque iureiurando *l.Stichum aut Pamphilum, §. naturalis, de solutio:* & ideo si post præstitum iuramentum pecunia à pupillo soluta fuerit, soluta pecunia repeti poterit, tanquam indebita, *tot.tit.de condict.indeb.* Quia verò naturalis obligatio, qua pupillus tenebatur, pupillo iurante, tollitur, consequenter quoque tollitur obligatio fideiussoria, & propterea fideiussor conuentus, postquam pupillus iurauit se dare non oportere, exceptione iurisiurandi se defendere potest. Et hoc prius membrum est Iulianeæ distinctionis. Sequitur membrum posterius. Aut creditor contendit, se mutuam pecuniam pupillo dedisse, idque pupillus non inficiatur, sed hoc solo pupillus se defendit, quod tutor eius non interuenerit, & hoc tale iusiurandum interpositum est, hoc est, credi-

tot detulit pupillo iusiurandum vt iuraret, se tutoris auctoritate non interueniente pecuniam mutuam accepisse. Idq; pupillus iurauit, & hoc casu fideiussorem prætor non tuebitur, hoc est, hoc casu, pupilli iusiurandum fideiussori non prodest. Ratio est, quia pupillus non iurauit de ipso contractu & de re, hoc est, non iurauit, se pecuniam mutuam dare non oportere, sed iurauit, tutoris auctoritatem non interuenisse. Quod si liquido probari non potest quid actum sit inter creditorem & pupillum, & in obscuro erit, vt plerumq; fit, de facto, hoc est, de eo, an tutor interuenerit vel non, an verò de iure, hoc est, de eo, an dari oporteret pecuniam an non, inter creditorem & pupillum controuersia fuerit, deferente creditore, hoc est, creditore dicente, affirmante vel admittente, pupillum iurasse, intelligere debemus, id actum inter eos, vt si iurasset, se dare non oportere, ab omni conditione discederetur, hoc est, in dubio dicere debemus, pupillum iurasse se dare non oportere: atque ita solutam pecuniam repeti posse, & fideiussoribus exceptionem dari debere existimamus, *d. l. vlt. h. t. n.* Non so- 15.

lum autem fideiussoribus, vt dictum est, rei iusiurandum proficit, verumetiam iusiurandum à reo siue debitore exactum efficit, vt pignus liberetur. Ita enim à Iuliano ICto traditum est *in l. iusiurandum à debitore, h. t. n.* Iusiurandum, inquit ICtus, à debitore exactum efficit, vt pignus liberetur. Pignus est accessio ad principalem obligationem, sicuti fideiussor *l. in omnibus, de solut.* Et ideo sicuti fideiussor liberatur, reo siue debitore iurante se dare non oportere; ita quoq; liberatur pignus. Et hoc regulare est, quod in omnibus speciebus liberationum, etiam accessiones liberantur, puta adpromissores, hypothecæ, pignora *d. l. in omnibus, de solutio.* Si igitur creditor, postquam debitor iurauit, se dare non oportere, actione pignoraticia siue hypothecaria experiatur, & pignus vindicet, potest debitor creditorem agentem exceptione iurisiurandi repellere. Et hæc exceptio iurisiurandi est perpetua, vt Iulianus affirmat *in d. l. iusiurandum à debitore, h. t. n.* ex quo consequitur, pœnam quoque petentem creditorem, exceptione submoueri & solutum repeti posse, vtpote cùm interposito iureiurando ab omni con-

trouersia discedatur, *d. l. iusiurandum à debitore, hoc titulo nostro.* Illud notandum est, 16.
quod exceptio iurisiurandi, non tantùm si ea actione quis vtatur, cuius nomine exegit iusiurandum, opponi poteſt, ſed etiam ſi alia actione poſtea vtatur, ſi modò eadem quæſtio in hoc iudicium deducatur. Hanc elegantem regulam tradit Paulus *in d. l. in duobus, §. exceptio, hoc titulo nostro.* eamque poſtea exemplis declarat. Pone, ago tecum actione negociorum geſtorum, & contendo, te mihi debere decem, propterea quod negotia tua geſſi, tu negas te mihi propter geſta negotia decem debere. Defero tibi iuſiurandum vt iures, te mihi propterea, quod negotia tua geſsi, decem non debere. Tu iuraſti, atque ita mihi in te amplius negociorum geſtorum actio non competit. Aut ſi in ambiguo, te negociorum geſtorum actione conueniam, potes mihi obijcere exceptionẽ iuriſiurandi, atq; ita me agentẽ repellere. At pone, ego non ago actione negociorũ geſtorũ, ſed ago condictione certi, & decẽ à te per condictionẽ certi propter negocia geſta peto. Qui actione negociorum geſtorum decem perſequitur, decẽ quoq; perſequi poteſt con-

17 dictione certi. Certi enim condictio competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur, siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto, *l. certi condictio, de reb. cred.* Quæstionis est, vtrum me condictione certi agentem & decem petentem, exceptione iurisiurandi repellere possis? Et ita dicendum est, ex superiori regula propterea quod condictione certi idem persequor, quod antea actione negociorum gestorum persecutus sum, & per alteram actionem altera actio fuit consumpta. Rursus pone, peto à te actione pro socio decem, & cum tu negares te decem debere, defero tibi iusiurandum. Tu iurasti atque ita mihi amplius in te actio non competit, aut si ego rursus agam, aduersum te actione pro socio, obstabit mihi exceptio iurisiurandi At pone ego ex eadem causa certum condico, hoc est, à te peto decem per certi condictionem, quæ mihi debeas ex societatis contractu. Hic altera actione experior. Prius agebam actione pro socio, nunc ago certi condictione. Quæritur an excludendus sim exceptione iurisiurandi. Et ita dicendum est, quia in hoc posterius iudicium eadem quæstio dedu-

deducitur, quæ in prius iudicium deducta fuit. Idem dicendum est, si agam actione mandati aut qua simili actione, & post iusiurandum exactum ex ijsdem causis certum condicam. Semper enim mihi exceptio iurisiurandi obstabit, quia per alteram actionem altera consumitur, *d. l. in duobus, § exceptio, h. t. n.* Rursus pone, colonus meus, hoc est, conductor prædij rustici, arbores succidit, ego aduersus colonum egi actione ex locato propter succisas arbores, & deferente me colono iusiurandum, colonus iurauit, se arbores non succidisse, siue è lege 12. tabularum de arboribus succisis, siue è lege Aquilia damni iniuria, siue interdicto quod vi aut clàm, colonus postea conueniatur, per exceptionem iurisiurandi defendi poterit, *d. l. in duobus, §. colonus, h. t. n.* Rursus pone, ago cum muliere actione in rē, & rem aliquam certam à muliere peto. Mulier iurauit, rem illam suam esse, si postea ob illam ipsam rem mulierem conueniam actione rerum amotarum, debet in actione rerum amotarum per exceptionem iurisiurandi defendi. Et omninò hoc obseruandum est, licet per aliam actionem eadem quæstio moueatur, vt

 exce-

exceptio iurisiurandi locum habeat, *d.l. in duobus, §. contra si iurauerit, h.t.n.* Rursus pone, Petij à te decem actione iudicati, iurasti te non esse condemnatum, si postea actione ex stipulatu iudicatum solui ob rem iudicatam conueniaris, defendere te potes per exceptionem iurisiurandi, *d.l. in duobus, §. igitur, h.t.n.* Et hæc omnia, vt dictum est, tunc procedunt, cum eadem
18. quæstio in iudicium deducitur. Si alia quæstio in iudicium deducatur, secus erit. Si quis igitur iurauerit, se non rapuisse, non debet adiuuari hoc iureiurando, in actione furti aut condictione, quia aliud est furtum fecisse, quod vel clàm fieri potest, *d.l. in duob. §. si quis, h.t.n.* Et quæ iurauit diuortij causa rem se non amouisse, non debet defendi per exceptionem, si cum ea in rem agatur, *d. l. in duob. §. quæ iurauit, h. t. n.* Et qui iurauit se dare non oportere cum actione ex stipulatu iudicatum solui conueniretur, non debet iuuari exceptione iurisiurandi, si actione iudicati conueniatur. Potest enim fieri, vt non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit, *d l. in duobus, §. contra, h. t. n.* quod in hac specie contingit, si quis ad aliquem iudicem iturus, stipuletur iudi-
catum

catum solui, & agat postea apud alterum iudicem. Hoc casu non committitur stipulatio, quia non huius posterioris iudicis sententiæ fideiussores se subdiderunt, *l. 3. in princ. iudicat. solui.* Sanè si quis ideò iurasset, quod nec damnatum se diceret, exceptione iurisiurandi defendetur aduersus agentem Iudicati actione, *d. l. in duobus, §. contra, h. t. n.* Deniq; si actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, & reus iurauerit, exceptione vtetur si de constituta conueniatur. Sed si de sorte, id est, de priori obligatione conueniatur, exceptio cessabit, nisi de hac quoque iurauerit aduersario deferente, *l. si actor h. t. n.* Et hæc de rei iuramento dicta sufficiant. Videamus de iuramento actoris. Si actor iurauit, reo iusiurandum deferente, reus cogitur soluere, & datur actori in reum actio, *l. nam posteaquã; §. fin. l. sed etsi possessori, §. item si iurauero, & §. penult. h. t. n.* in qua hoc solùm quæritur, an iurauerit, dari sibi oportere, vel cum iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum sit, *d l. nam posteaquam, §. 1, l. quod si iurauit, hoc tit. nost.* omissa quæstione, an debeatur, quasi satis probatũ sit iureiurando *l. non erit ratum, §. dato, d. l. sed etsi*

19.

20.

possessori, §.penult. ibi perindeq́, haberi quod iuratum est, atq; si probatum esset, l. in duobus, in fine, l. quod si iuraui, in illis verbis, quæ hoc quæritur, an iuraueris, h.t.n. §. item si quis postu-
21. *lante, Instit. de actio.* Nec solùm actori qui iurauit, aduersus reum, qui detulit iusiurandum, actio datur, verum etiam aduersus eos, qui in locum eius successerunt. Aduersus alium, si velit actor prærogatiua iurisiurandi vti, nihil ei proderit. Quia non deberet alij nocere, quod inter alios actum esset, *d.l, nam posteaquam,*
22. *§. fin. cum l, sequ. h.t.n.* Sed quæstionis est, quænam sit actio illa, quæ actori in reum competit, postquam actor, reo iusiurandum deferente, iurauit. Hæc quæstio est difficilis, propterea quod ICti & interpretes nostri, hac de re diuersimode
23. sentiunt & loquuntur. Quod ad ICtos attinet, primùm videmus multis in locis sub hoc titulo nostro, absolutè quidem illos tradere, actorem qui iurauit, actionem sibi acquirere, sed simul non exprimere quænam sit illa actio. Nam Vlpianus *in l. nam posteaquam, §. 1. h. t. n.* docet, Iureiurando dato, actorem acquirere actionem sibi. Idem Vlpianus in eadem lege, *in §. idem ergo,* tradit, procuratorem

qui

qui iurauit, reo iusiurandum deferente, dari mihi oportere, mihi actionem parere. Et *in §. penult. eiusdem legis* inquit, Actori dari actionem, postquam possessore deferente iurauit rem suam esse. Idem Vlpianus *in l. sed etsi possessori, §. item si iurauero h. t. n.* inquit: Si iurauero vsumfructum rei alicuius meum esse vel mihi dari oportere, &c. Et paulò pòst inquit Vlpianus, Si rerum in quibus vsusfructus propter abusum constitui non potest, iurauero, vsumfructum meum esse, ex iureiurando possum petere vsumfructum. Sic Vlpianus *in l. sed etsi seruus, h. t.* docet, si seruus meus delato vel relato ei iureiurãdo iurauit, rem domini esse, mihi dandam esse actionem. Et Paulus *in l. in duobus, §. fin. h. t.* docet, Iusiurandum & actionem & exceptionem inducere, sicq; ex his locis omnibus constat, dari actori, qui iurauit, actionem in illum, qui iusiurandum detulit. At quænam sit illa actio, aut quo nomine vocetur, ex dictis locis non constat. Deinde Vlpianus *in l. si duo patroni, §. si quis iurauerit, h. t. n.* docet, actorem 24
qui iurauit, non nancisci nouam actionem, sed veterem actionem retinere, eaq; aduersus reum, qui iusiurandum detulit,

expe-

experiri posse. Sic enim Vlpianus inquit, Si quis iurauerit vendidisse me ei rem centum, ex empto agere poterit, vt ei cætera præstentur, id est, res tradatur, & de euictione caueatur. Ecce textum apertum, quo probatur, emptorem, qui egit actione ex empto aduersus venditorem, vt res vendita sibi traderetur, & de euictione caueretur, & iurauit rem sibi venditam esse, actione ex empto compellere posse venditorem, vt rem tradat, & de euictione caueat. Ei igitur qui aduersario iusiurandum deferente iurauit, ex iureiurando non datur noua actio, sed illa actio duntaxat competit, quæ ante præstitum iuramentum competebat, quod Vlpianus in sequentibus verbis, *ind. l. si duo patroni,* ad hunc modum latius explicat. Idē inquit, dicemus, & si quis societatem fecisse iurauerit. Nam & is, contra quem scilicet iuratū est, pro socio poterit conueniri. Subdit postea Vlpianus, Marcellus etiam scribit, Si quis iurauerit ob decem pignori dedisse fundum, non aliàs eum pignoratitia agere posse, quàm si decem soluerit. Sic Vlpianus *in l. sed et si, §. si petenti mihi, de public. in rem act.* docet, eum qui publiciana egit & rem petijt

ac deferente aduersario iurauit rem suã esse, publiciana actione agere posse. Verba Vlpiani hæc sunt: Si petenti mihi rem, iusiurandum detuleris, egoq; iurauero, rem meã esse, competit publiciana mihi. Tertiò Vlpianus *in l. sed etsi possessori, § si cũ de heredit ate, h.t.n.* docet, actori qui iurauit 25.
vtilem actionem competere. Si inquit, cũ de hereditate inter me & te esset controuersia, iurauero hereditatem esse meam, id consequi debeo quod haberem, si secundum me pronunciatum esset, & non solum eas res restituere debes, quas tunc posidebas, sed etsi quas postea cœpisses posidere, perindeque haberi, quod iuratum est, atque si probatum esset, idcirco vtilis actio mihi competit. Nota hæc postrema verba, quibus Vlpianus significat, actori qui egit petitione hereditatis & iurauit hereditatem suam esse, dari vtilem actionem. Idem voluit ICtus, referente Vlpiano, *in d.l. si duo patroni, §. Iulianus ait, h. t. n.* Iulianus, inquit ICtus, ait, eum qui iurauit fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem etiam vtilem actionem habere debere. Consentit cum Vlpiano & Iuliano Tryphoninus *in l. quod si iuraui, hoc tit. nu.*

Ibi tu iurasti, tibi dari oportere, & competit tibi aduersum me vtilis actio, qua hoc solum quæritur, an iuraueris tibi dari oportere. Etsi ego postea iuraui te deferente, non iurasse te dari tibi oportere, aduersus vtilem actionem, opponere possum exceptionem iurisiurandi, perimentem quæstionem actione compræ-
26. hensam, *d. l. quod si iuraui, h. t. n.* Denique Imperatores Diocletianus & Maximianus *in l. actori, C. de reb. cred. & iureiur.* rescripserunt: actori qui iurauit in factum actionem competere. Sic enim verba rescripti habent. Actori delato vel relato iureiurando, si iurauerit, vel ei remissum sit sacramentum, ad similitudinem iudicati in factum actio competit. Et Vlpianus tradit, ei qui iurauit rem suam esse, amissa possessione, si is qui detulit iusiurandum, nactus sit possessionem, actionem in factum dandam, *l. sed etsi possessori, §. i. h. t. n.* Ex his itaque intelligimus, variè ICtos loqui de actione quæ actori iuranti
27. datur in reum. Interpretes sibi etiam non satis constant, eorumq; sententia breuiter hæc est: Videndum est, inquiunt, cùm quæritur, quænam actio actori iuranti detur in reum, vtrum formiter sit iuratum,

tum, an informiter. Nam si formiter iuratum fuerit, actori vetus actio competit, quæ etiam dicitur vtilis: si informiter competit actio in factum, Accursius, quem communiter doctores sequuntur, *in l. nam posteaquam, §. iureiurando dato, super verbo actionem, & l. sed etsi possessori, §. si cum de hereditate, super verbo vtilis, h. t. n. & in l. actori, super verbis in factum, C. de reb. cred. & iureiur.* Formiter autem actor iurare dicitur secundum Accursium & communiter doctores, quando, verbi gratia, non simpliciter iurat, rem ad se pertinere, sed adijcit causam, quare res ad se pertineat, vt quia illam emit. Informiter quando simpliciter iurat rem ad se pertinere, nulla causa expressa, cur res ad se pertineat. *Accursius super dictis verbis in factum, & super dicto verbo vtilis, ex quo post alios id refert Ioachimus à Beust, in d. l. nam posteaquam, §. iureiurando dato, hoc t. n.* 28.
Hanc interpretum nostrorum sententiam Hugo Donellus aliqua ex parte probat, aliqua ex parte etiam improbat. Probat, quia vult actionem veterem iuranti dari, eamque dici vtilem. Improbat, quia contendit actori iuranti vnam duntaxat actionem dari, quæ modò ve- 29.

tùs, modò vtilis, modò in factum dicatur. Quid igitur in tanta ICtorum & interpretum nostrorum diuersitate, de actione, quæ actori iuranti datur, sentiendum est?

30. Breuiter res tota adhibita distinctione specierum iuramenti, ad hunc modum explicanda est. Aut actor iurauit extra iudicium, Aut in iudicio, reo vtroque casu iusiurandum deferente, Aut iurauit iudice deferente iusiurandum in causis dubijs. Si actor extra iudicium reo iusiurandum deferente iurauit, tunc vetus actio competit. Idemq; dicimus, si actor ad delationem rei in iudicio iurauit, sententia tamen iudicis condemnatoria iusiurandum non est secuta. Hoc etiam casu, actori qui iurauit, vetus actio datur. Et de iureiurando extra iudicium præstito, itemq; de iureiurando præstito in iudicio, quod tamen sententia iudicis condemnatoria secuta non est, accipienda sunt quæ traduntur, *in d. l. si duo patroni, §. si quis iurauerit, cum duob. §§. sequent. h. t. n. & in l. sed et si, §. si petenti mihi, de public. in rem actio.* Ideò verò actore iurante extra iudicium, vel in iudicio, nulla tamen iudicis sententia condemnatoria secuta, veterem actionem competere dicimus, quia alia

actio

actio competere nulla potest. Si quæ actio præter veterem competit, ea vel iurisiurandi actio est, vel actio iudicati directa, vel actio iudicati vtilis. Alia actio competere non potest. Non competit autem a- 31.
ctio ex iureiurando, quia ex iureiurando, iure ciuili obligatio & actio non descendit, nisi libertus iurauerit, se operas, donum, munus patrono daturum, *l. vt iurisiurandi, de oper. liber. l. si quis pro eo, de fideiusso.* quod quamuis impiè dici VVesenbecius arbitratur *in paratitlis ad tit. ff. de iureiur.* verissimum tamen est. *Alexander, Iason, Cagnolus & alij in l. si quis maior, C. de transact. Couarru. in c. quamuis, de pact. in 6. in prima part. relectio,* §. 2. Nam iusiurandum pro pactione est, *l. tutor, l. si. h. t. n.* Et quæ vis pactioni tribuitur, eadem vis iurijurando tribuitur. Pactione iniuriarū actio tol- 32.
litur, *l. si tibi decem, §. 1. de pact. sicuti in tit. de pact. latius dictū est.* Tollitur quoq; iniuriarū actio iureiurando *l. non solum, §. 1 de iniurijs.* Pacto naturalis obligatio tollitur. Tollitur quoq; naturalis obligatio iureiurando *l. Stichum aut Pamphilum, §. naturalis, de solutio.* Pactum naturalem obligationem producit, *l. 5. de solutio.* Producet quoque naturalem obligationem iusiurandum,

quia vt dictum est, vim pacti habet, quod tamen Bartolo & alijs non placet, *in d.l. si quis pro eo, de fideiuss.* Sed hac in parte Bartolum rectè reprehendit Couarru. *in d.c. quamuis, de pact. in 6. in relectio. 1. par-*
33. *tis, §.2.* Nec obstat *d.l. si quis pro eo*, vbi naturaliter non obligatur, qui cum libertus non esset, iurauit, se operas præstiturum, & ob id fideiussor non tenetur. Nam ibi seruus per errorem quasi libertinus iurauit, se operas præstiturum. Hic seruus neq; naturaliter neque ciuiliter obligatur, & proinde nec fideiussor qui pro seruo intercessit, obligatus est. Deniq; sicut pactum à iure communi remotum, non seruatur, ita nec iusiurandum, *l. iuris gentium, §. & generaliter, de pact. l. non dubium, C. de ll.* At pactio iure ciuili obligationem & actionem non parit, idque sæpius constitutum est, vt Imperatores rescripserunt *in l. 5. C. de contrahen. stipul. l. iurisgentium, §. igitur nuda pactio, l. diuisionis, de pact. l. solent, de præscript. verb l. legem, l. cum proponas, C. de pact. l. siue apud, C. de transact. l. 1. C. de pact. conuen.* Inde sequitur ex Iureiurando quoque actori, qui iurauit extra iudicium, vel etiam in iudicio, actio-
34. nem non dari. Rursus non competit a-

ctori qui extra iudicium iurauit, vel iurauit in iudicio, nulla tamen iudicis sententia secuta, actio iudicati directa vel vtilis, quia actio iudicati directa vel vtilis nunquam datur, nisi sententia à iudice dicta fuerit. Relinquitur igitur, actorem qui iurauit extra iudicium vel etiam in iudicio, nulla iudicis sententia secuta, veterem duntaxat actionem habere, in qua non hoc quæritur, an debeatur quod petitur, sed an iuratum sit, vt suprà est expositū. Non obstat, quod ex iureiuran- 35.
do datur exceptio iurisiurandi, vnde videbatur dicendum, ex iureiurando dari quoque debere actionem. Hoc inquam, non obstat. Nec enim nouum est, vt ex negocio aliquo detur exceptio, ex quo non datur actio. Argumento sit pactum nudum, ex quo exceptio pacti datur, *tot. tit. de pact.* non tamen actio *vt sup. dictum est.* Si actor in iudicio iurauit, reo iusiu- 36.
randum deferente, & iudex postea reum condemnauit, datur actori ad similitudinem iudicati actio, *d. l. actori, C. de rebus cred. & iureiur.* Hæc verba diligenter excutienda sunt. Inquit Imperator ad similitudinem. His verbis, ad similitudinem, significatur vtilis actio, sicuti illis

quia vt dictum est, vim pacti habet, quod tamen Bartolo & alijs non placet, *in d.l. si quis pro eo, de fideiuss.* Sed hac in parte Bartolum rectè reprehendit Couarru. *in d.c. quamuis, de pact. in 6. in relectio. 1. par-*
33. *tis, §. 2.* Nec obstat *d.l. si quis pro eo*, vbi naturaliter non obligatur, qui cum libertus non esset, iurauit, se operas præstiturum, & ob id fideiussor non tenetur. Nam ibi seruus per errorem quasi libertinus iurauit, se operas præstiturum. Hic seruus neq; naturaliter neque ciuiliter obligatur, & proinde nec fideiussor qui pro seruo intercesſit, obligatus est. Deniq; sicut pactum à iure communi remotum, non seruatur, ita nec iusiurandum, *l. iuris gentium, §. & generaliter, de pact. l. non dubium, C. de ll.* At pactio iure ciuili obligationem & actionem non parit, idque sæpius constitutum est, vt Imperatores rescripserunt *in l. 5. C. de contrahen. stipul. l. iurisgentium, §. igitur nuda pactio, l. diuisionis, de pact. l. solent, de præscript. verb l. legem, l. cum proponas, C. de pact. l. siue apud, C. de transact. l. 1. C. de pact. conuen.* Inde sequitur ex Iureiurando quoque actori, qui iurauit extra iudicium, vel etiam in iudicio, actio-
34. nem non dari. Rursus non competit a-
ctori

ctori qui extra iudicium iurauit, vel iurauit in iudicio, nulla tamen iudicis sententia secuta, actio iudicati directa vel vtilis, quia actio iudicati directa vel vtilis nunquam datur, nisi sententia à iudice dicta fuerit. Relinquitur igitur, actorem qui iurauit extra iudicium vel etiam in iudicio, nulla iudicis sententia secuta, veterem duntaxat actionem habere, in qua non hoc quæritur, an debeatur quod petitur, sed an iuratum sit, vt suprà est expositũ. Non obstat, quod ex iureiuran- 35.
do datur exceptio iurisiurandi, vnde videbatur dicendum, ex iureiurando dari quoque debere actionem. Hoc inquam, non obstat. Nec enim nouum est, vt ex negocio aliquo detur exceptio, ex quo non datur actio. Argumento sit pactum nudum, ex quo exceptio pacti datur, *tot. tit de pact.* non tamen actio *vt sup. dictum est.* Si actor in iudicio iurauit, reo iusiu- 36.
randum deferente, & iudex postea reum condemnauit, datur actori ad similitudinem iudicati actio, *d. l. actori, C. de rebus cred. & iureiur.* Hæc verba diligenter excutienda sunt. Inquit Imperator ad similitudinem. His verbis, ad similitudinem, significatur vtilis actio, sicuti illis

verbis, ad exemplum, significatur actio vtilis, *l.1.C.de precario.* Seruiana, inquit ibi Imperator, actio competit, vel quæ ad exemplum eius instituitur vtilis. Nota quod his verbis, ad exemplum significatur actio vtilis, ipso Imperatore ita explicante. Sic Vlpianus *in l. locum, §. fin. de vsufr.* inquit: Si quis seruum occiderit, vtilem actionem exemplo Aquiliæ fructuario dandam, nunquam dubitaui. Ecce hîc quoque ICtus his verbis, exemplo Aquiliæ, intelligit actionem vtilem legis Aquiliæ. Sic cum Paulus inquit *in l. sed etsi proprietatis, ad l. Aquiliam,* ad exemplum legis Aquiliæ dandam esse actionem, vtilem actionem legis Aquiliæ intelligit. Sic Imperatores rescripserunt, vtilem persecutionem exemplo pignoratitiæ dari, *l. 5. C. si aliena res pign. data sit.* Hinc actio publiciana quæ vtilis est in rem actio, siue vtilis vindicatio, *l. nec vtilem, ex quib. causis maiores,* ad exemplum vindicationis dari dicitur, *in l. in honorariis, de oblig. & act.* Ad eundẽ ergo modum dictis verbis ad similitudinem significatur actio vtilis, & actor qui iurauit, habet vtilem actionem. Intelligitur hoc amplius *ex §. item si quis postulante, Inst. de act.* ibi Iustinianus docet,

præ-

prætorem ei qui iurauit pecuniam sibi deberi, accommodare actionem. Accommodari autem dicuntur vtiles actiones, *l. quia actionum, in 2. parte, de præscript. verb.* 37.
verbi gratia. Ego mea manu seruum alienum occidi. Teneor actione legis Aquiliæ directa. At si non occidi seruum alienum mea manu, sed inclusi seruum, atq; ita perijt, prætor reddit actionem in factum accommodatam legi Aquiliæ, *d. l. quia actionum*, hoc est, reddit actionem vtilem legis Aquiliæ, *§. fin. Inst. de l. Aquil.* Vtiles igitur actiones accommodari dicuntur, quod euidenter Paulus quoq; ostendit *in l. vxor marito in fin. de donat. inter vir. & vxor.* vbi dicit, vtilis actio mulieri in res ipsas accommodatur. Actori ergo qui iurauit, ad similitudinem actio datur, siue quod idem est, actori actio accommodatur, hoc est, vtilis actio datur, & quidem vtilis actio iudicati. Sic enim Imperator inquit, ad similitudinem iudicati *d. l. actori, C. de reb. cred.* Et hanc actionem vtilem iudicati, appellat Imperator actionem in 38.
factum, *in d. l. actori, C. de reb. cred. & iureiur.* quemadmodum & ICtus *in l. sed etsi possessori, §. 1. hoc tit. nost.* quia vtilis actio, alias actio in factum dicitur, *vt constat ex*

d.l.quia actionum, de prascript. verb. iuncto §. fin. Inst. de l. Aquil. Habet igitur actor qui iurauit, actionem vtilem iudicati, quæ & in factum dicitur, & actio accommodata & data ad similitudinem iudicati. Et de actore qui ad delationem rei in iudicio iurauit, reo postea condemnato, est accipienda *d.l. sed etsi possessori, §. si cum de herede.& d.l. si duo patroni, §. Iulianus ait, &*
39. *d.l. quod si iurani, h t.n.* Idcirco verò actori, qui in iudicio iurauit, reo postea condemnato, datur actio vtilis iudicati & non directa, quia iudex in inuitum reum, sententiam non dixit, sed ad voluntatis rei placitum, vt Imperatores loquuntur, *in l. cum proponas, C. de reb. cred. & iureiur.* & ad petitionem partium litigantium, vt Iustinianus Imperator ait, *in l. generaliter, §. sive autem, C. de reb. cred. & iureiur.* & propterea ex illa sententia, non est actio iudicati directa, quæ ex sententia duntaxat descendit, quæ in inuitos datur; sed
40. actio iudicati vtilis. Dicitur actio hæc, vtilis iudicati, quia vtilitas exigit, vt vtilis actio hoc casu detur, cum directa competere non possit, *d.l. quia actionum, in fine, de prascript. verb. l. si longius, §. fin. de iudic. l. nam vt ait Pedius, de B.l. si remunerandi,* [illegible] *in fine,*

in fine, mandati, vbi dicitur, vtilis actio competit, idq; vtilitati rerum consentaneum est. Dici- 41.
tur quoq; actio hæc dari ad exemplum siue similitudinem iudicati, quia omnis actio vtilis, datur in casu simili. Verbi gratia. Si meo corpore damnum dedi, vt si mea manu occidi seruum alienum, competit domino serui in me actio directa legis Aquiliæ. At si inclusi seruum, atque ita seruus fame perijt, non competit domino serui in me actio legis Aquiliæ directa, quia ego meo corpore damnum non dedi, aut mea manu seruum non occidi. Hoc ergo casu prætor supplet, quod legi Aquiliæ deest, & dat domino serui in me ad exemplum siue similitudinem legis Aquiliæ vtilem actionem legis Aquiliæ, *§. fin. Instit. de l. Aquil.* Hic enim casus similis est priori, quia licet meo corpore damnum non dedi, nec seruum mea manu occidi: tamen mei corporis ratione damnum datum est, & seruus perijt fame, quia à me inclusus fuit, & non perijsset, nisi ego seruum inclusissem. Cum igitur hic casus similis sit priori, in hunc tamen casum directò & principaliter, actio l. Aquiliæ non sit scripta, ob id vtilitate exigente, datur ad exem-

plum siue similitudinem legis Aquiliæ actio, quæ dicitur vtilis actio legis Aquiliæ. Sic quando iudex sententiam dicit, actore intentionem suam probante, in litigatorem inuitum sententiam dicit, & ex sententia illa datur victori in victum & condemnatum actio iudicati directa, *tot. tit. de re iudic.* At quando iudex reum condemnat, propterea quod actor in iudicio ad delationem rei iurauit, tunc iudex in inuitum litigatorem sententiam non dicit, sed dicit sententiam in litigatorem volentem & petentem. Reus namque qui actori iusiurandum detulit in iudicio, iudice iuramentum approbante, voluit & petijt à iudice, vt iudex se condemnaret si actor iurasset. Actore igitur iurante, iudex sententiam dicit in volentẽ & petentem reum, *d. l. cum proponas & l. generaliter, §. siue autem, C. de reb. cred. & iureiur.* & propterea reus à sententia iudicis
42. appellare non potest, *d. §. siue autem,* quia nimis crudele est, parti quæ detulit iusiurandum, propter hoc ipsum, quod iudex eius petitionem secutus est, superesse prouocationem, *d. §. siue autem.* Non datur tamen in reum ex huiusmodi iudicis sententia, actio iudicati directa, sed vtilis

vtilis actio iudicati. Hic enim casus similis est priori, quia licet iudex in inuitum reum sententiam non dixit, dixit tamen sententiam in reum volentem & petentem. Ob id, cum hic casus similis sit priori, in hunc tamen casum directò & principaliter actio iudicati non sit directa, vtilitate exigente datur ad exemplum siue similitudinem iudicati, actio, quæ dicitur vtilis actio iudicati. Hoc amplius vtilis actio iudicati, dicitur actio accommodata, *§ item si quis postulante, Instit. de actio.* Accommodari propriè dicitur id 43.
quod à re, in quam propriè conuenit, in eam rem, in quam propriè non conuenit, transfertur. Et quia omnis actio vtilis datur in casu simili, vt modò dictum est, idcirco vtiles actiones dicuntur accommodari. Et non inconcinnè Theophilus vtiles actiones appellat plagiasticas, hoc est, inflexas, *in titulo de fideicom. heredit. in Institut.* Si actor iurauit, iudice iura- 44.
mentum deferente in causis dubijs, & iudex postea reum condemnauit, datur actori in reum actio iudicati directa. Ratio est, quia iudex hoc casu litigatoribus inuitis sententiam dixit, non dixit sententiam ad petitionem rei, sed sicuti in-

uito reo, actori detulit iusiurandum, ita inuito reo, postquam actor iurauit, reum condemnat, & propterea ex illa iudicis sententia condemnatoria, quæ in inuitos redditur, competit actori actio iudicati directa, sicuti ex quauis alia iudicis sententia, quæ in rem iudicatam transiuit, datur actori actio iudicati directa, *tot. tit.*
45. *de re iudic.* At quæstionis nunc est, quam ob causam detur actori actio iudicati directa vel vtilis, postquam iudex reum, actore iurante condemnauit, & non detur actio vetus? Ad hanc quæstionem responsio non est difficilis. Causa hæc est: iudicati actione prior contractus & actio ex contractu descendens, nouatur, *l. fin. §. si enim nouatur, C. de vsur. rei iudic.* Nouatione autem facta, prior contractus & actio ex contractu descendens perimitur, *l. 1. de nouatio.* Inde sequitur, quod actor post rem iudicatam veteri actione, quæ iam sublata & extincta est, experiri non potest. Nec enim quis rectè experitur actione quæ perempta & extincta est. Imò si quis post rem iudicatam priori actione agere instituat, iterata actio, rei iudicatæ exceptione repellitur *l. 4. C. depositi.*
46. Illud nunc notandum est, quod quibus casi-

casibus actori qui iurauit, reo postea condemnato, datur actio iudicati directa vel vtilis: iisdem casibus, reo qui iurauit & absolutus est, competit exceptio iudicati directa vel vtilis, quod de reo quidem, qui actore vel iudice iusiurandum deferente iurauit, & postea à iudice absolutus est, nusquam expressè traditum est. Sed ita tamen definiendum est ex natura correlatiuorum. Sunt enim reus & actor relatiua & correlatiua, & propterea quod in actore diximus, idem dicendum quoque est in reo, statutum namque in vno ex correlatiuis extenditur quoque ad aliud, *l. vlt. de acceptila. l. vlt. de indicta viduita. tollen. & vtrobiq. doctores.* Ex his quæ hactenus dicta sunt, intelligimus, iureiurando lites finiri. Addendum nunc est, lites iureiurando finitas, 47. de periurij quidem aut instrumentorum de nouo repertorum prætextu, retractari posse. De periurio hoc traditum est *l. 1. C. de reb. cred. & Iureiur.* his verbis: causa iureiurando ex consensu vtriusq; partis vel aduersario inferente, delato, præstito vel remisso decisa, nec periurij prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur. De instrumentis

tis de nouo repertis idem traditum est, *in l. admonendi circa fin. h. t. n.* his verbis: Si iureiurando transactum sit negocium, non conceditur propter instrumenta de nouo reperta, eandem causam retractare. Sed de his separatim aliquanto diligentius agemus. Et primùm quidem de
48. periurijs. Dicimus causam iureiurando decisam, periurij prætextu non posse retractari. Hæc sententia primo intuitu valdè iniqua videtur. Quid enim iniquius, quàm vt res mea illi cedat, quem peierasse constat? Hinc Labeo de dolo actionem in eum, qui iurasset, periurio postea approbato, dandam existimauit. Verùm Labeonis sententiam Pomponius & Marcellus improbarunt, *l. quod si deferente, de dolo malo. Et vide Cuiacium in l. seruum tuum, eod.* Et bono publico receptum est, ne causa iureiurando decisa, periurij prætextu retractetur, vt aliquis litium sit finis, sicuti de vsucapione dicitur, quæ contra naturam bono publico est recepta, ne rerum dominia sint incerta, *l. 1. de vsurpat. & vsucap.* Sic iudex sæpe malè officio suo fungitur, *l. iudex, de re iudic.* & perperam iudicat, *l. cum quærebatur, eodem*, ac verum debitorem, malè absoluit, *l. iudex,*

l. iudex, l. Iulianus, de condictio. indeb. Huic tamen iudicis sententiæ nihilominus statur, vt aliquis litium sit finis, *tot. titulo de re iud.* Ad eundem ergo modum, bono publico, vt litium sit finis, receptum esse dicimus, quod causa iureiurando decisa, periurij prætextu retractari non potest, standum est religioni, *d. l. quod si deferente, in fine, de dolo malo.* Et boni publici non immeritò maior ratio habetur, quàm priuati, cum salus populi suprema debeat esse lex, *vt est apud Ciceronem de ll.* Ab hac tamen generali defi- 49.
nitione excipienda est species facti, quæ proponitur *in l. fin. C. de reb. cred. & iureiur.* Species hæc est. Titius legatum vel fideicommissum vtpote testamento sibi relictum ab herede exigit. Heres testamento non apparente, Titio iusiurandũ detulit, vt iuraret, sibi in testamento legatum vel fideicommissum fuisse derelictum. Titius jurauit & præstito iureiurando ex testamento id quod petebat, consecutus est. Postea prolato testamento, manifestum est factum, nihil penitus Titio in testamento fuisse derelictum. Quæritur vtrum iurijurando standum sit, an verò Titius restituere debeat quod accepit.

Et à

Et à sacratissimo Imperatore Iustiniano constitutum est, repeti à Titio legatum vel fideicommissum debere. Ne, inquit Imperator, ex huiusmodi periurio lucrũ ei accedat. In hac igitur specie causa iureiurando decisa, periurij prætextu re-
50. tractatur. Et ad hanc facti speciem referenda sunt postrema verba dictæ legis primæ *C. de reb. cred. & iureiur.* hæc scilicet, nisi specialiter hoc lege excipiatur. Hæc verba non sunt Antonini Imperatoris, sed ad Antonini rescriptum addita sunt à Triboniano & reliquis Iustinianei Codicis collectoribus, propter constitutionem Iustiniani, hoc est, *propter legem vlt. C. de reb. cred. & iureiur.* Et quamuis ratio qua Iustinianus *in d. l. fin. C. de reb. cred. & iureiur.* vtitur, hæc nimirum, ne cui ex periurio suo lucrum accedat, generalis est, ex eaque inferri posset, causam omnem iureiurando decisam, periurj prætextu retractari posse, tamen quid de ratione illa sentiendum sit, sup. *c. 1. circa finem* ex-
51. positum est. Illud nunc monendum est, non solùm causam iureiurando decisam, periurij prætextu retractari non posse, sed hoc amplius etiam illum qui peierauit, non posse ob commissum periurium

puni-

puniri. Ita enim ab optimo Imperatore Alexandro, qui ICtorum amantiſsimus fuit, & præcipuè Vlpianum ICtum charum habuit, *vt alibi me oſtendiſſe memini*, reſcriptum eſt, *in l. 2. C. de reb. cred. & iureiur.* Eius reſcripti verba hæc ſunt: Iuriſiurandi contempti religio ſatis Deum vltorem habet. Periculum autem corporis vel maieſtatis crimen, ſecundum conſtituta diuorum parentum meorum, etſi per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet. Hactenus Alexander Imperator. Hoc reſcriptum Alexandri duas partes complectitur. In priori agitur de eo, qui per Deum peierauit: In poſteriori de illo, qui peierauit per principis venerationem, atq; ita Conſtantino Harmenopulo *lib. 1. epit. iuris tit. 7. de iureiur.* viſum eſt. Nam ibi Conſtantinus Harmenopulus ita inquit: Οὐδεὶς κατὰ τοῦ θεοῦ ὀμοσὰς, κινδυνεύσι. Ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχειν τιμωρὸν τὸ θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ θεοῦ γέγονεν. Εἰ δὲ κατὰ βασιλέως, κατά τινα θερμότητα ὠμοσέ τις, συγχωρεῖται. Ὁ δὲ ἐπὶ χρήμασι κατὰ τοῦ βασιλέως ὀμόσας καὶ ἐπιορκήσας, ῥοπαλίζεται. hoc eſt, nemo qui per Deum peierauerit, periclitatur. Satis

enim Deum vltorem habet, iurisiurandi per Deum præstiti religio. Quod si quis per principis venerationem calore quodam peierauerit, veniam consequitur. Si quis iurauerit in re pecuniaria per principis genium, & peierauerit, fustibus castigatus dimittitur. Et Constantini Harmenopuli sententiam communiter interpretes nostri probarunt, & nouissi-
52. mè Cuiacius *in 2. obseruat. c. 19.* Sed de eo quæritur, quod ad priorem partem rescripti Alexandrini attinet, vtrum qui per Deum peierauit, solum Deum vltorem habeat, & non etiam vltorem principem siue magistratum. Et ita quidem Iacobus Cuiacius indistinctè censuit, siue calore iracundiæ quis per Deum peierauerit siue consulto. Nam *d. lib. 2. obseruat. c. 19.* formalibus verbis ita loquitur. Si per Deum peieratum sit, Deus ipse vindex est periurij, & ob id à græcis Iupiter ὅρκιος dictus est, & rectè Tiberius apud Cornelium Tacitum, deorum iniurias dijs curæ esse scribit. Sententia ergò *l. 2. C. de reb. cred.* hæc est Legibus non puniri eum qui per Deum peierârit. Hæc Cuiacius. Cæterùm interpretibus communiter placuit, priorem partẽ rescripti Alexandrini
de eo

de eo duntaxat intelligendam esse, qui per Deum peierauit calore iracundiæ. Hic solum Deum vltorem & vindicem habet. At si quis per Deum peierauerit consulto, non calore iracundiæ, non solus Deus periurij admissi vindex & vltor erit, sed etiam princeps siue magistratus, qui periurium extra ordinem pro suo arbitrio puniet. *Cagnolus in l. si quis maior, nu. 127. C. de transact. Roma. singula. 420. Iason in l. si duo, §. vlt. nu. 1. in fin. h. t. n.* & huic sententiæ tanquam veriori & receptiori, Menochius subscripsit, refutata Iacobi Cuiacij opinione, *lib. 2. de arbit. iud. quæst. cent. 4. casu 310.* Posteriori parti rescripti Ale- 53
xandrini, in qua dicitur, ei qui per principem pejerauit, periculum corporis non inferri, videtur obstare, *l. si duo patroni, §. fin. h. t. n.* Ibi Vlpianus ICtus docet, fustibus castigari illum, qui per principem peierauit. Nam ita Vlpianus inquit: Si quis iurauerit in re pecuniaria, per genium principis, dare se non oportere, & peierauerit, vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus iurauerit se soluturum, nec soluit, Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti debere, & ita ei superdici

προπετῶς μὴ ὄμνυε. Et hoc ex Vlpiano Constantinus Harmenopulus retulit *lib. 1. epitoma. tit. 7.* vt sup. vidimus. Sed dicendum est, Alexandrum Imperatorem loqui de eo, qui calore iracundiæ per principem peierauit. Sic enim rescripti verba habent, etsi per principis venerationem calore quodam fuerit peieratum. Hic non punitur, atque ita omnes rescriptum Alexandri in 2. parte intelligunt, vt Menochius affirmat *d. l. 2. de arbitr. iud. quæstio. cent. 4. casu 318. nu. 8.* Vlpianus loquitur de illo, qui per principem siue genium principis peierauit *προπετῶς*, hoc est, mala mente & consulto. Et sic Vlpianum Cynus, Albericus & Salicetus intellexerunt, *in d. l. 2. C. de reb. cred. & iureiur.* eaque omnium est sententia, vt Menochius tradidit *loc. sup. dicto, nu. 7. Duarenus lib. 2. anniuersa. disputat. c. 37. Cuiacius lib. 5. obseruat. c. 7.* Ait Vlpianus, ita ei superdici *προπετῶς μὴ ὄμνυε*. Ita in ff. Florentinis legitur. In alijs vulgatis libris legitur, ita ei super indici. Sed Pandectarum Florentinarum lectio retinenda est. Hæc autem Vlpiani verba non sunt referenda ad *ἐπιγραφὴν*, siue titulum, quem veteres

teres cum de damnato homine suppliciũ sumebant, in loco supplicij conspicuo affigebant, quò breuiter admonitus populus, pœnæ à reo expetitæ, causam intelligeret, eoq; exemplo à simili facinore perpetrando cæteri auocarentur, vt Duarenus existimauit, *in tit. de in litem iurando in fine.* ex quo id refert & sequitur Rusardus *in d l. si duo patroni, §. fin. hoc tit. n.* sed ad præconem, qui interim dum reus qui per principem peierauit, fustibus ceditur, ita superdicit, προπετῶς μὴ ὄμνυε. Intelligitur hoc *ex l. fustibus, C. ex quibus causis infam. irrogatur.* Ibi agitur de eo, qui calumniatus erat, & propterea fustibus cædebatur, & Imperator Gordianus rescripsit per præconem ita ei dici ἐσυκοφάντησας. Verba Gordiani hæc sunt. Fustibus cæsum cui per præconem ita dictum est, ἐσυκοφάντησας, vt calumniatorem videri notatum, ideoque esse famosum, manifestum est. Sic Lampridius in Alexandro inquit: Turinum necari iussit, præcone dicente, Fumo punitur, qui vendidit fumum. Et postea idem Lampridius ait. Alexander quoties aliquem emendabat, per præconem dici iubebat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Spar-

tianus in Sæuero. Fustibus eum sub elogio præconis cæcidit, Legatum P. R. homo plebeius temerè amplecti noli. *Vide Cuiatium, d. lib. 8. obseru. c. 7.* Ex his intelligimus, id quod supra diximus, cùm qui peierauit, non propterea posse puniri, intelligendum esse de illo, qui calore quodam peierauit, per Deum, vel etiam per principem aut principis genium. Secus est, quando quis per Deum vel principem peierauit consultò siue mala mente. Tunc extra ordinem pœna iudicis arbitraria punitur, vel fustibus castigatur. Nunc de instrumentis de nouo repertis dispiciamus.
54. Sicuti causa, iureiurando decisa, periurij prætextu non retractatur: ita causa iureiurando decisa, non potest retractari prætextu instrumentorũ, de nouo repertorum, *d. l. admonendi, h. t. n.* Idem traditum est de transactione *in l. sub prætextu, C. de transact.* Ibi à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ita rescriptum est. Sub prætextu instrumenti pòst reperti, transactionẽ bona fide finitam, rescindi iura non patiuntur. Idem quoq; traditum est de re iudic. *in l. 4. C. de reb. iud.* Nã Gordianus Imperator ibi cuidam Antonino ad hunc modum rescripsit, sub

 specie

ſpecie nouorum inſtrumentorum poſtea repertorum, res iudicatas reſtaurari, exemplo graue eſt. Ratio verò horum omnium vna eſt, & quidem eadem, quam ſupra eſſe diximus, vt ſcilicet aliquis litium ſit finis. Nullus vnquam litium futurus eſſet finis, ſi cauſæ iureiurando deciſæ, aut tranſactione legitima ſopitæ, vel rebus iudicatis finitæ, propter inſtrumenta de nouo reperta, retractarentur. At reipublicæ intereſt, vt litium ſit finis. Quare rectiſsimè ICtis & Imperatoribus Romanis placuit, vt lites ſemel iureiurando vel tranſactione vel rebus iudicatis finitæ, non reſtaurentur propter inſtrumenta de nouo reperta. Et hæc dici- 55.
mus de iureiurando voluntario & iudiciali, & de litibus finitis iureiurando, voluntario aut iudiciali. Aliud obtinet in iureiurando neceſſario, & litibus iureiurando neceſſario deciſis. Hæ lites etiam poſt iuſiurandum exactum ex integro agi poſſunt propter inſtrumenta de nouo reperta. Sic enim à Caio ICto traditum
eſt, *in d. l. admonendi, h. t. n.* his verbis: Ad- 56.
monendi ſumus, interdum etiam poſt iuſiurandum exactum permitti conſtitutionibus principum ex integro cauſam

agere, si quis noua instrumenta se inuenisse dicat, quibus nunc solis vsurus sit. Sed hæ constitutiones tunc videntur locum habere, cum à iudice aliquis absolutus fuerit. Solent enim sæpe iudices in dubijs causis exacto iureiurando, secundum eum iudicare, qui iurauerit. Hactenus Caius, cuius verba paululum perpendemus & excutiemus. Ait Caius, admonendi sumus, his verbis significat, se non de vulgari, sed magno & obseruatione digno negocio agere, & propterea admonitione & attentione opus esse. Id verò tale est, quod constitutiones principum, interdum etiam post iusiurandum exactum, permittunt ex integro causam
57. agere. Istæ constitutiones principum, quarum Caius meminit, nusquam in ff. & C. extant, sed vel temporum vitio interierunt, vel à compilatoribus ff. & C. omissæ fuerunt, *quemadmodum etiam ab Accursio in d.l. admonendi, annotatum est.* Nam quod Christophorus Castellioneus & Corrasius putant, Caium respicere ad l. 1. 2. & 3. C. si ex falsis instrument. ineptum est, idq́; communiter doctores nostri improbârunt. Opus autem fuit singularibus Imperatorum siue principum
con-

constitutionibus, propterea quod ius commune non patitur, vt causa iureiurando decisa, retractetur. Hæc constitutio est iuris communis, & quidem generalis constitutio siue dispositio, à qua nullus casus excipitur. Cæterum principes postea nominatim constituerunt, vt quandoque liceret, causam iureiurando decisam retractare. Et quidem hoc tunc permiserunt, quando quis noua instrumenta se inuenisse dicit, quibus nunc solis vsurus sit. Propter instrumenta ergo de nouo reperta, causa iureiurando decisa, retractari potest. Hæc fuit sententia constitutionũ principalium, quæ vt dixi, in libris nostris nusquam inueniuntur. Sed hæ constitutiones, inquit Caius, tunc videntur locum habere, cum à iudice aliquis absolutus fuerit. Hæc verba videntur locum habere, non sunt dubitantis, sed affirmantis. Et ICti cum de re magna 58. & graui, sententiam suam modestè exponere volunt, vtuntur verbo videtur, aut videamus, aut videndum est, *vt in l.4. §.Cato, vers. sed videamus, de verbor. obligat. l.in persona in princip. de pact. & in multis alijs locis, vt apud Duarenum lib. 2. anniuersa. disputat. c. 11. videre licet.* Sic Aristoteles mo-

destiæ causa, passim vtitur his verbis: *ἔοικεν, δοκεῖ, σκοπεῖν δεῖ, φαίνεται, vt à Iacobo Cuiacio traditum est, ad l. 2. de verbor. obligat.* Hoc ergo vult Caius his verbis, hæ constitutiones tunc videntur locum habere, dicere, hæ constitutiones tunc locum habent, obtinent, procedunt, cùm à iudice aliquis absolutus fuerit, hoc est, dictæ Imperatorum constitutiones, quæ volunt causam iureiurando decisam ex integro agi posse, non habent locum in omni iuramento litis decisiuo, voluntario, iudiciali & necessario, sed locum habent duntaxat in iuramento necessario, & quando lis vel causa iureiurando necessario decisa est, & iudex post præstitum iuramentum iurantem absoluit. Hanc esse Caij sententiam, ex consequentibus verbis intelligimus. Sic namque Caius inquit: Solent enim sæpè iudices in dubijs causis exacto iureiurando, secundum eum iudicare qui iurauerit. His verbis Caius planum facit se loqui de iureiurando, quod à iudice defertur in causis dubijs, hoc est, de iureiurando necessario, & vt interpretes nostri loquuntur, probationum suppletorio. Hoc iusiurandum defert iudex in causis dubijs, vt Caius inquit,

quit, aut vt Imperatores Diocletianus & Maximianus loquuntur, inopia probationum. *l. 3. C. de reb. cred. & iureiur.* Vel vt interpretes nostri passim aiunt, cũ semiplenè probatum est. Nec enim causa dubia paritatem probationum significat, vt Duareno visum est *lib. 2. anniuers. disputa. c. 33. Costalius in d. l. admonendi, h. t. n.* Ac multis modis accidere potest, vt causa dubia reddatur, & inopia probationum laboret. Primum redditur causa dubia, si a- 59
ctor qui intentionem suam quibusdam argumentis probauit, sit vir probus & honestus, & reus è contra, sit vir improbus. Verbi gratia, Sempronius petit à Titio centum ex causa mutui, & numerationem pecuniæ non probat, sed vtitur tantum quibusdam argumentis & coniecturis. Est tamen Sempronius vir probus, & tota vita innocens. Titius contra qui negat se accepisse pecuniam, est homo improbus, plenus perfidiarum & fraudis, & dicit, se absolui debere ex regula iuris: Actore non probante, reus etsi nihil præstiterit, debet absolui, *l. qui accusare, C. de eden.* Hîc causa dubia est, quia iudex intelligit. Sempronium non eo modo intentionem suam probasse quo debe-

debebat, & propterea Titium debere absolui. Rursus considerat iudex, quod Sempronius vir probus est & honestus, qui ab alio non petit quod sibi non debetur. Dubius itaque est iudex, vtrum Titium hominem improbum ex regula iuris, Actore non probante, &c. absoluere, an verò propter argumenta à Sempronio adducta, ad quæ accedit integritas vitæ Sempronij, condemnare debeat. In hac dubitatione iudex motus probitate actoris & perfidia rei, non absoluet reum, sed vel iurabit, sibi non liquere, *l. Pomponius, §. vlt. de receptis, l. Pomponius, de re iud. sicuti in proposita specie Gellium fecisse legimus, lib. 14. c. 2.* Vel etiam actori deferet iusiurandum, atque ita secundum actorem iurantem pronunciabit, eaque Bartoli est sententia *in d. l. admonendi, nu. 22. de iureiur. & ibi in additio. ad Bartol. in verbo, dubys, notatur.* Deinde causa redditur dubia
60. si actor probet, quod intendit vnico teste, Vnius quidem hominis testimonium non debet admitti, *l. maritus, de quæstio. &* vnius testimonio non est credendum, *d. l. maritus in fin. de quæstio.* Et vnius testimonium nemo iudicum in quacunque causa facilè recipere debet, etsi testis præclaræ
curiæ

curiæ honore præfulgeat, *l. iurisiurandi, C. de test.ib.* Ideoque rectè Q. Scæuola, testis in reum productus, cum id respondisset, quod salutem periclitantis magnoperè læsurum videbatur, discedens adiecit, ità sibi credi oportere, si & alij idem asseuerassent, quoniam vnius testimonio aliquem credere pessimi esset exempli. *Valerius Maximus lib. 4. c. 1.* Cæterum si testis vnicus sit omni exceptione maior, hoc est, talis contra quem ad minuendā fidem ipsius nihil opponi possit, causa redditur dubia, & iudex dubius fit, vtrū reum absoluere, an condemnare debeat. Videt iudex pro actore non nisi vnicum testem facere, & scit vnius testimonium non sufficere ad condemnandum reum. Rursus auctoritas & probitas istius testis tanta est, vt iudicem adducat ad habendam fidem testi, atque ita dubius est iudex, quid facere debeat, an debeat reum absoluere, an verò condemnare. In hac dubitatione, & cùm semiplena probatio, vt Dd. loquuntur, intercesserit, potest iudex actori iusiurandum deferre, & postea secundum actorem qui iurauit, iudicare. *Accursius in d. l. admonendi, h. t. n. & in l. 3. C. de reb. cred. & iureiur. Bartol. Bald. Alber.*

Paul.

Paul. de Castro. Alexand. Iason & communiter dd. in l. admonendi, h. t. n. Anton. Gabriel. Rom. lib. 1. commu. conclus. tit. de testib. conclus. 1. nu.
61. *45. & 46.* Tertiò causa redditur dubia ex similitudine literarum, quæ ex comparatione scripturarum sumitur. Pone, actor vtitur in iudicio chirographo, quod reus à se scriptum negat. Actor autem producit aliam scripturam rei, & ex comparatione scripturarum similitudo literarum apparet. Quæritur an ex similitudine literarum, quæ ex comparatione scripturarum sumitur, chirographo
62. fides accedat. Chirographum est priuata scriptura, & ad obligationem nihil facit: cum literis, obligationis genus non mutetur, *l. non figura, de obligat. & actio.* facit tamen chirographum ad probationem. Nam si reus agnoscat chirographum, pro confesso & iudicato habetur, *l. 1. de confessis,* & nullæ partes sunt iudicandi in confitentes, vt Vlpianus loquitur, *in l. proinde, ad l. Aquiliam.* Si reus chirographum neget, chirographum per se non probat, nisi alijs adminiculis adiuuetur, *l. instrumenta, C. de probatio.* Hîc autem chirographo adminiculatur literarum similitudo. Quæritur an chrirographum pro-

probet. Olim quidem chirographo ex 63.
comparatione literarum fides acquirebatur, vt non obſcurè intelligitur *ex l. penult. C. de fide instrum.* Cæterum Iuſtinianus videns, quod multi ſunt ſciti alienarum literarum imitatores, hoc ſuſtulit & conſtituit, vt chirographum propter ſimilitudinem literarum, quæ ex comparatione ſcripturarum ſumitur, non probet, niſi ſcripturæ iſtæ, ex quibus comparationes fiunt, à tribus teſtibus fuerunt ſubſcriptæ, ex quibus duo ſaltem manum ſuam recognoſcant, vel ſi manum ſuam negent, collatione propriarum literarum conuincantur. Ita à Iuſtiniano traditum eſt, *in d. l. penult. C. de fide instrument.* Ibi Iuſtinianus addit hoc etiam procedere debere, etiamſi in ſemetipſum aliquis chartam conſcriptam proferat, hoc eſt, etiamſi inſtrumentum priuatum, quod quis ad comparationem profert, contra proferentem faciat. Nam etiam ex eo inſtrumento non fiet comparatio, niſi ſubſcriptionem habuerit trium teſtium; *d. l. penul. C. de fide instrument.*
Et quamuis interpretes noſtri exiſtimant, 64.
d. l. comparationes, ſublatam eſſe per Nouellam conſtitutionem 50. *qua in ſententia*

etiam

etiam eſt Ioachimus à Beuſt, in d. l. admonendi, mihi folio 489. tamen id probandum non eſt. Nec enim d. Nouel. 50. tollit d. l. penult. ſed ad dictam l. penult. duas exceptiones addit. Vult namque vt ſcripturæ ex quibus comparationes fiunt, valeant, licet non habeant ſubſcriptionem trium teſtium, ſi ex archijs proferantur. Aut ſi actor ea ſcriptura, ex qua comparatio literarum fit, vtatur. Vt ſi actor agat, & ius ſuum tueatur, ex priuata ſcriptura, ſubſcriptionem trium teſtium non habente, & reus ſe defendat ex eiuſdem manus alia ſcriptura, & actor ſcripturam qua reus vtitur, inſimulet quaſi ſuſpectam, fiet comparatio cum ea ſcriptura, qua actor vtitur, licet non habeat ſubſcriptionem trium teſtium. Eius enim ſcripturæ fidem, actor improbare non poteſt, qua ipſe vtitur, ſicuti teſtes improbare non poteſt, quibus vſus eſt, *l. ſi quis teſtibus, C. de teſtib* Hæ exceptiones proponuntur, in d Nouel. 50. nec ijs, d. l. penult. C. de fide inſtrum. tollitur. Nec ad rem facit, quod Iuſtinianus *in Nouel. 50.* affirmat, ſe decreuiſſe dictam l. penult. corrigere. Nam corrigit non tollendo legem, ſed excipi-
65. endo & ſupplendo. Sic prætor emendare

dici-

dicitur ius vetus, non tollendo, sed supplendo *in tit. de bonor. possess. in Instit.* atque ita Iacobus Cuiacius censuit rectè *in d. Nouel. 50.* Similitudo igitur literarum, quæ sumitur ex comparatione scripturæ trium testium subscriptionem habentis, probat. Quod si scriptura, ex qua comparatio sumitur, non sit subscripta à tribus testibus, chirographum autem, de quo controuertitur, trium testium subscriptionem habeat, plenè probabit, *eaq; est sententia, §. si quis igitur cautè, in Nouel. 37. Menochius de arbitr. iudic. quæstio. lib. 2. centu. 2. casu 114.* Ex his sequitur in proposita facti specie, chirographum propter similitudinem literarum, quæ ex comparatione alterius scripturæ ducitur, non probare propterea quod scriptura ex qua comparatio scripturarum fit, trium testium subscriptionem non habet, *quod requirit, d. l. penult. C. de fide instrum.* & chirographum quoque, de quo controuertitur, à tribus testibus non est subscriptum, *quod exigit Nouel. 73.* Chirographum tamen semiplenam probationem facit propter similitudinem literarum ex comparatione alterius scripturæ sumptam, & iudicem dubium reddit, vtrum reum conde-

minare, an absoluere debeat, *Menoch. de arbitr. iud. quaestio lib. 2. centu. 2. casu 114. nu. 6. Cuiacius in d. Nouel. 50.* & propterea iudex tanquam in causa dubia, actori qui ex similitudine literarum ex comparatione alterius scripturæ sumpta, semiplenè probauit, chirographum à reo scriptum esse, deferre potest iusiurandum. *Bald. in d. l. penult. C. de fide instrum. Cuiacius d. Nouel. 50. & 73. Menoch. d. casu 114.* Sic interpretes nostri tradunt, semiplenam probationem duci ex scriptura rei, & rem dubiam reddi, Si reus qui negat scripturam sua manu scriptam, cogatur scribere, & ex scriptura illa rei, aliqua literarum similitudo deprehendatur, & ideo hoc quoque casu locus erit iurijurando necessario, & iudex in supplementum probationis iusiurandum necessarium deferre poterit.

66. Aliud est dicendum, si ex scriptura rei, plena literarum similitudo sumi possit, tunc scriptura, quam reus negat, plenè probabit, atque in foro obseruatur, *ut post complures alios traditum reliquit Menochius dicto casu 114.* quod tamen Zasius existimat, tunc demum procedere, cum omnia comparationum genera cessant, *lib. 2. singul. respons. c. 25.* Et quæ de chiro-

gra-

grapho diximus, eadem dicenda ſunt
de apocha & antapocha. Apocha eſt pro- 67.
feſsio ſolutæ pecuniæ, *l. pecuniæ, C. de ſolutio.* hoc eſt, apocha datur à creditore debitori ſolutionis probandæ cauſa. Dicitur apocha ἀπὸ τοῦ ἀπέχειν, quod eſt recipere. Aliàs dicitur ſecuritas, *l. ſi quando, §. fin. C. de inoffi. teſtam. l. vlt. C. ſi certum peta. In Nouel. conſtitut. 129. de tranſitu militum, dicitur recautum, quia vt chirographo debitor cauet creditori: ita creditor debitori recauet apocha.* Antapocha eſt exemplum apo- 68.
chæ, habens ſubſcriptionem debitoris, qui apocham ſuſcepit, *vt conſtat ex l. plures, C. de fide inſtrument.* vbi Imperator quod vocat exemplar apochæ, poſtea appellat antapocham. Et ſicuti apocha datur debitori, vt ea probet ſe ſoluiſſe: ita antapocha datur creditori, vt ea probet ſibi ſolutam penſionem, atque ita vt ſubmoueat temporis præſcriptionem, vel etiam ſibi quamcunque defenſionem pariat. Pone ergo Titius petit à Sempronio centum, Sempronius dicit, ſe ſoluiſſe & producit apocham Titij. Si Titius neget apocham ſe ſcripſiſſe, reus apocham cum alia ſcriptura comprobare poteſt. Et ſi ex comparatione ſcripturarum, litera-

rum similitudo appareat, apocha tamen non sit à tribus testibus subscripta, nec scriptura illa, ex cuius comparatione literarum similitudo sumitur, trium testium subscriptionem habeat, apocha semiplene probabit, & causa propter similitudinem literarum erit dubia, & Iudex in dubia hac causa, reo iusiurandum poterit deferre, & iurantem reum absoluere, atque ita in apocha doctores supra citati, vt plurimum loquuntur. *Menochius d.casu 114.* Idem dicendum erit de antapocha, si ea à debitore negetur.

69. Quartò causa redditur dubia, si mercator libro suarum rationum debitum probet. Pone, Titius mercator in libro suarum rationum scripsit, Sempronium merces certas à se emisse, & idcirco centum sibi debere. Sempronius negat, se vllas merces emisse. Quæritur an libro rationum debitum probetur. Sanè liber rationum solus non probat. Ita sæpe ab Imperatoribus est rescriptum, *vt dicitur in l. rationes, C.de probatio.* Nam *in l. instrumenta, C.de probatio.* inquiunt Imperatores, quod priuata testatio seu annotatio ad probationem sola non sufficiat. Et *in d.l. rationes, C. eodem,* ab ijsdem Imperatoribus est rescri-

ſcriptum, rationes defuncti, quæ in bonis eius inueniuntur, ad probationem ſibi debitæ quantitatis non ſufficere. Et *in l. exemplo, C. eod.* Imperator inquit, exemplo pernitioſum eſſe, vt ei ſcripturæ credatur, qua vnuſquiſque ſibi annotatione propria debitorem conſtituit. At in propoſito. Liber rationum, eſt mercatoris, & quidem hominis honeſti & probi, quem nemo facilè ſuſpicatur in libro ſuarum rationum annotaſſe, quod non vendiderit, cum domus mercatoris, ſit domus veritatis & æquitatis. *Angelus conſ. 219. ex quo id refert Tiraquel. in tract. de pœn. cauſa 51. nu. 140.* Hoc amplius, liber huiuſmodi continet data & accepta, in eoque nominatim exprimuntur merces, quæ Sempronio venditæ fuerunt. Dubia itaque hîc cauſa eſt, & dubius iudex redditur, vtrum Sempronium abſoluere, an condemnare debeat. Dubitationem hanc iudici ex vna parte inijcit priuata Titij ſcriptura, ſiue priuata Titij annotatio, cui iudex videt ſtandum non eſſe. Ex altera parte dubitationem adfert, quod liber rationum productus, eſt mercatoris, qui communiter probus & honeſtus reputatur. Accedit & hoc, quod liber

data & accepta continet, & in libro in specie expressæ sunt merces, quas Titius Sempronio vendidit. Hæc omnia simul iuncta, plenam probationem non faciunt, faciunt tamen probationem semiplenam, & causam reddunt dubiam. Iudex itaq; in hac causa dubia, & semiplenè probata, iusiurandum Titio mercatori potest deferre, & si Titius iurauerit, Sempronium condemnabit. Hæc est communis interpretum nostrorum sententia, *vt nouißimè, prolixè & eleganter traditum est ab Andrea Gail lib. 2. pract. obseru. cap. 20.* eamque sæpius in praxi obseruatam vidi.
70. Et quod de libris rationum mercatoris diximus, tunc procedit, cum consuetudo non extat, vt libris mercatorum plenè credatur. Hoc casu, libri rationum mercatoris, concurrentibus ijs de quibus supra diximus, semiplenam probationem faciunt. Quod si aliquo in loco consuetudo vigeat, vt libris rationum mercatoris plenè credatur, plenam probationem libri rationum mercatoris facient. *Andreas Gail d. lib. 2. obseru. c. 20.* si modò consuetudo huiusmodi non sit nimium generalis & indiscreta. Generalis & indiscreta consuetudo, quæ vult vt cre-

datur

datur omni scripturæ cuiuslibet mercatoris quantamcunq; quantitatem contineat,nulla habita differentia personarũ & rerum, non valet, *vt eleganter tradidit Cravetta de antiquit.tempo.par.1.mihi folio 45.* Ex his vtcunque intelligitur, quæ causæ sint dubiæ, in quibus iudex iusiurandum solet exigere, *vt Caius loquitur, in d.l. admonendi, h. t. n.* Addendum nunc est ex sen- 71.
tentia nostrorum interpretum, iudicem non statim,cum causa dubia apparet,aut probatio semiplena facta est, ad iusiurandum necessarium deferendum accedere, sed circumspectum esse debere, & diligenter prius considerare, vtrum actor, qui intentionem suam semiplenè probauit, & idcirco causam super qua lis est, dubiam reddidit, veritatem scire possit ex sensu aliquo corporeo, vt quia ipse actor actui interfuit, & vidit vel audiuit rem ita esse gestam, prout semiplenè probatum est, *gl.in l.bona fidei, C. de reb. cred. & iureiur. Bartol. in d. l. admonendi, num.57. & ibi Iason in repetit.nu.259.vers. secundus casus,* Itẽ an legalis sit. *Bartol.in d.l.admonendi,nu. 58.& ibi Iason in repetit. num. 160.vers. tertius casus.* Et vtrum causa super qua controuertitur, sit exigui ponderis. *Iason in d. l.*

admonendi, in repetit. num. 260. vers. quintus casus. His enim tribus concurrentibus, iudex iusiurandum necessarium deferre
72. potest. Si actor qui semiplenè intentionem suam probauit, veritatem non posit scire ex sensu aliquo corporeo, tunc iudex actori in supplementum probationis, iusiurandum deferre non debet. Hinc traditum est, heredi non debere deferri iusiurandum super facto defuncti, cum illud probabiliter ignorare præsumatur. Qui enim in ius alterius succedit, iustam præsumitur habere ignorantiam, *l. qui in alterius, de regul. iur. Iason in repetit. l. admonendi, d. num. 259. Bald. in d. l. in bona fidei, num. 10. vers. 4. Inspicitur, C. de reb. cred.*
73. Similiter si actor non sit persona legalis, sed vilis aut infamis, qualis est fœnerator, qui improbas vsuras exercet, aut iudæus, iudex actori iusiurandum non deferet, licet actor semiplenè intentionem suam probauerit. De fœneratore hoc tradidit Cynus *in d. l. in bona fidei, quæst. 7. C. de reb. cred. & iureiur.* Et de iudæo, Bald. *in l.*
74. *qui accusare, num. 2. C. de edendo.* Denique si causa, super qua lis est, non sit exigui, sed magni ponderis, tunc iusiurandum necessarium deferri non poterit. *Iason in*

d. l. ad

d.l.admonendi, in repetit. d. num. 260. Menoch. de arbitra. iud. quaest. lib. 2. cent. 2. casu 190. Mynsing. in obseruat. cent. 1. obseruat. 68. Et quamuis diuersae sunt interpretum nostrorum sententiae super eo, quando causa dicatur magna, quando parua, siue exigua, & nonnulli volunt, causam minimam dici, quae est centum aureorum, *gl. in §. si tibi, in verbo breuiores, in authen. de mandat. princip. Bartol. in l. Imperium, de iurisdict. omn. iudic.* alij autem putant minimam esse causam aureorum viginti quinque. *Fulgosius in d. l. imperium.* Alij verò existimant causam dici minimam, cum eius valorem impensa excedit. *Bartol. in l. mediterranea, C. de anno. & tribut. lib. 10.* Tamen crebriori interpretum calculo receptum est, totum hoc iudicis arbitrio relinquendum esse, *gl. in d. §. si tibi, in verbo breuiores, Bartol. Bald. in authen. praeterea, C. vnde vir & uxor, & prolixissimè traditum est à Menochio lib. 2. de arbitra. iud. quaestio. cent. 1. casu 72.* 75.

Nec his quicquam obstat, quod *sup. c. 5. circa fin.* dictum est, iudicem in causa matrimoniali, quando semiplenè probatum est, iusiurandum in supplementum probationis deferre posse, Nam matrimonij quidem causa, magni ponderis causa, siue grauis & ardua 76.

causa est, *c. vlt. de procurato. in 6. Corras. lib. 3. Miscella. iuris, c. 4. ibi tradit, casus matrimonij quia graues sunt, non nisi per doctos & prudentes iudices tractari debere, c. 1. de consang. & affi.* & æquiparatur causa matrimonij, causæ criminali. *Alexand. cons. 143. incipiente, quoniam abunde, nu. 4. in 2. vol. Idem Alexan. in l. 3. num. 2. h. t. n. Zasius cons. 3. incipiente casus talis est, num. 27. in 2. vol.* Ideoq; sicut in causa criminali, probationes, luce meridiana clariores requiruntur, *l. fin. C. de probat.* ita in causa matrimoniali probationes luce meridiana clariores esse debent. *Bald. in c. ad nostram, 1. col. extra de probatio. Grammat. cons. crimi. 26. num. 19. Decius cons. 311. col. 1. Paris. cons. 15. num 13. lib. 2. Socin. Iun. cons. 86. num. 6.*
77. *lib. 2.* Cæterum si de contrahendo matrimonio agatur, & matrimonium semiplenè probatum fuerit, potest iudex in supplementum probationis, alijs concurrentibus iusiurandum necessarium deferre, vt suprà *c. 5. circa fin.* expositum est. Idq; fauore matrimonii receptùm est. Aliud dicimus, si agatur de matrimonio impediendo siue dissoluendo. Tunc propter semiplenam probationem factam, iudex in supplementum probationis, iusiurandum necessarium deferre non potest.
Ale-

Alexand.in d.l.3.nu.16.de iureiu.& ibidem Salycetus in § quacunq, num. 6. Castrens.cons.45. incipiente, licet per suprascriptum, nu. 3. in 1. vol. Et sicuti in criminalibus non defertur iuramentum, in defectum probationis. *Bartol.in l.maritus, num.4.de quaestio.& in l.admonendi,h.t.n.Salycet.in d.l.3.§.quacunque, num.3.de iureiur. & dictum est, c.5. supra.* Ita quoque in causis matrimonialibus iuramentum necessarium locum non habet, quando scilicet iuramentum futurum esset contra matrimonium. Ad extremũ 78. monendum est, Iusiurandum necessarium, quod à iudice defertur in causis dubijs, ita demum actori, qui semiplenè intentionem suam probauit deferri, si reus defensionem suam semiplenè non probauerit. Si pares ab vtraque parte fuerint probationes, par quoque personarum sit conditio, tunc reo potius, quàm actori iudex iusiurandum necessarium deferre debet. *Iason in d.l.admonendi, in repetitione, num, 160. vers. quintus casus. Menochius de arbitr.iudi.quaestio.lib.2.cent.2. casu.190.* Fauorabiliores enim rei sunt actoribus, *l. fauorabiliores, de reg.iur.*

CAPVT

CAPVT IX. DE APpellationibus in causis iuramentorum.

1. *Appellatio quid sit?*
2. *Usus appellandi maximè est necessarius.*
3. *Quantum temporis olim ad appellandum fuerit concessum?*
4. *Quæ dicatur propria causa, item quæ aliena?*
5. *Quod nam tempus ad appellandum ex Iustiniani constitutione præfixum sit?*
6. *Quando decendium ad appellandum præfixum incipiat currere?*
7. *Appellatio per statutum tolli non potest: nec præscribi illud ius à subditis, ne ad principem appelletur.*
8. *Litigatores possunt renunciare appellationi.*
9. *An rectè appelletur à iureiurando?*
10. *In dubio pronunciandum est appellationem esse recipiendam.*
11. *Ex Iustiniani constitutione à iureiurando non rectè appellatur.*
12. *Appellatio dicitur aliàs prouocatio.*
13. *Ratio cur à iureiurando non liceat appellare.*

14. Con-

14. *Contra propriam petitionem venire nemo potest.*
15. *Etiam is cui iusiurandum delatum est, appellare non potest.*
16. *An is qui iurare recusat, nec tamen iuramentum refert, & ita condemnatur appellare possit?*
17. *Explicatur §. sin autem is cui sacramentum, l. generaliter, C. de reb. cred. & iureiur.*
18. *Is qui iuramentum delatum contra iudicis voluntatem recusauit, & propterea condemnatus est, à sententia iudicis appellare potest.*
19. *Prima iustæ recusationis iurisiurandi causa.*
20. *Secunda iustæ recusationis iurisiurandi causa.*
21. *Tertia causa iustæ recusationis.*

SVb hoc capite postremo loco inquiremus, vtrum à causa iureiurando decisa appellare liceat. Ac digna hæc quæstio est, in quam diligenter inquiramus. Prius tamen quædam in genere de appellationibus monebimus. Appellatio est iniquitatis sententiæ querela. 1.

Ita

Ita Hermogenianus ICtus appellationem definit, *in l. praefecti, de minorib.* hoc est, appellatio nihil aliud est, quàm prouocatio, quæ fit ab inferiori iudice ad superiorem, & continet iniquitatis sententiæ
2. querelam. Inde nemo est, qui nesciat, quàm necessarius sit appellandi vsus, cum appellatio iniquitatem iudicantium vel imperitiam corrigat, licet nonnunquàm benè latas sententias in peius reformet: neq; enim vtiq; semper melius pronunciat, qui nouissimus sententiam laturus
3. est, *l. 1. in princ. de appellatio.* Ac olim quidem in causa propria, intra biduum, in aliena, intra triduum appellandum erat, *l. 1. §. biduum, & §. in propria, quando appellandum sit, & intra quae, &c. l. eos qui, §. pe-*
4. *nult. C. de appellatio.* Et propria causa dicebatur, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinebat. Aliena, cum quis alieno nomine litigabat, *d. l. 1. §. propriam causam, quando*
5. *appelland. sit.* Iustinianus postea animaduertens, hoc tempus breuius esse, quàm vt intra id de æquitate vel iniquitate sententiæ quis consultare & iudicare posit, sustulit differentiam causarum propriarum & alienarum, & constituit,
vt

vt appellationes intra decem dies fiant. *Nouel. 23. de appellatio.* Hos decem dies vulgo decendium appellant. Et currunt 6.
decem dies à recitatione sententiæ, *vt Iustinianus loquitur, in d. Nouel. 23. & probauit Pontifex in c. anteriorum, 2. quæst. 6. vbi Pontifex de verbo ad verbum integrè refert, d. Nouellam 23.* hoc est, à tempore latæ sententiæ, si litigatores præsentes fuerunt tempore latæ sententiæ, si fuerunt absentes, currit decendium à tempore scientiæ, *c. concertationi, de apppellatio. in 6. Mynsinge. in 2. centu. obseruat. 2.* Et appellatio per statutum tolli non potest, *c. venientes, extra de iureiur.* ibi dicitur, non valere statutum appellationem tollens, idemq; de consuetudine intelligendum est. Nec enim consuetudo valet, quæ appellationem tollit. *Mynſ.in obseru.cent.1. obseru.14.* Et nullo tẽporis vsu acquiri po- 7.
test à subditis ius illud, ne ab ijs ad principẽ appelletur. *Couar, in pract.quæst.c.4.* Sic etiam princeps appellationem tollere nõ potest. *Matth.de Afflict.in prælud.constit. Neapolit.quæstio.10.* Sanè litigatores appellatio- 8.
ni renuntiare possunt, *l. fin.§.fin.C.de tempore appellatio.* His ita summatim præ- 9.
missis, videamus, an rectè appelletur à

causa

causa decisa iureiurando. Pone, lis est inter Titium & Sempronium de fundo Corneliano, & Titius affirmat fundum Cornelianum se à Sempronio emisse, & pretium numerasse, ideoq; petit, vt Sempronius fundum Cornelianũ sibi tradat. Sempronius negat fundum Cornelianum à se venditum esse, negat etiam se pretiũ accepisse. Titius defert Sempronio iusiurandum vt iuret, se non vendidisse fundum, nec pretium accepisse. Sempronius iusiurandum delatum suscipit & iurat. Præstito iureiurando iudex Sempronium absoluit. Titius ab ista iudicis sententia & causa iureiurando decisa, appellat. Quæstio hîc oritur, vtrum appellatio ritè interposita fuerit, & iudex appellationi deferre debeat. Iudex quidem in dubio appellationi deferre debet, *vt communiter à dd. nostris traditum est per l. sciendum, de ap-*
10. *pellatio. recipiend. Speculat. in tit. de appellat. §. nunc dicamus.* Et in dubio pronuntiandum est, appellationem esse admittendam. *Bartol. in l. vn. nihil inno. appella. interpo. Bald. in l. properandum, §. fin autem reus, C. de iudic.* sicuti quoque in dubio iudicandum est, appellationem non esse desertam, *Paulus de Castro in l. 1. & ibi quoque Alexan-*

lexander si quis cautio. in iudic. &c. Tiraquell. in tract. le mort saisit, in 6. declaratio. sexta partis, num. 9. & 10. Cæterum quod ad propositam facti speciem & quæstionem ex ea sumptam attinet, dicendum est. Titium malè appellasse, & iudicem appellationi deferre non debere. Ita enim ab 11.
Imperatore nostro sacratissimo Iustiniano rescriptum est *in l. generaliter, §. sine autem, C. de reb. cred. & iureiur.* Si inquit Imperator, illatum iuramentum præstitum fuerit, ipsi parti quæ hoc intulit, nullum prouocationis remedium in hoc reseruabitur. His verbis, nullum prouocationis remedium reseruabitur, significat Imperator Iustinianus, partem quæ detulit iusiurandum, à iureiurando postea præstito, & sententia iudicis secuta, appellare non posse. Appellationem aliàs 12.
prouocationem appellamus, *l. scio quæsitum, § fin. de appellatio. & alibi sæpe.* Et propter hanc causam, quod à præstito iuramento appellari non potest, existimo à ICto Paulo traditum esse, iusiurandum maiorem habere auctoritatem, quàm habeat res iudicata, *l. 2. h. t.* A re enim iudicata, appellari potest, à præstito iuramento non item. Ratio autem, quare is qui detulit

iusiurandum præstito iureiurando, à sententia iudicis iusiurandum subsecuta, appellare non posſit, à Iustiniano redditur *in d. l. generaliter, §. siue autem, C. de rebus*
13. *cred. & iureiur.* Ratio hæc est. Ideo appellare non potest, qui iusiurandum detulit, quia nimis crudele est, parti quæ iusiurandum detulit, propter hoc ipsum, quod iudex eius petitionem secutus est, superesse prouocationem. Hæc ratio diligenter perpendenda & excutienda est. Qui iusiurandum alteri defert in iudicio, à iudice petit, vt cogat eum cui iusiurandum defertur, vt iuret vel soluat. Hoc amplius petit, vt iudex iurantem absoluat, non iurantem condemnet. Hanc petitionem iudex subsequitur, & eum à quo iusiurandum petitur, cogit vt iuret vel soluat. Sic enim prætor ait: Eum à quo iusiurandum petetur, soluere aut iurare cogam, *l. iusiurandum, & ad pecunias, §. fin. h. t. n.* Ad petitionem igitur eius, qui iusiurandum alteri in iudicio defert, iudex sententiam tulit, & iurantem absoluit. Inde sequitur, eum ad cuius petitionem iudex sententiam tulit, & iurantem
14. absoluit, appellare non posse. Contra propriam namque petitionem veniret, &

quod

quod semel placuit, improbaret, quod esse non debet, *c. quod semel, de reg. iur. in 6.* Imo crudele est, & nimis crudele, vt quis veniat contra id, quod ipse fieri voluit & petijt. Hæc est sentẽtia rationis, qua Iustinianus vsus est, *in d. l. generaliter, §. sine autem, C. de rebus cred. & iureiur.* ex qua effi- 15.
citur, nec eum, cui iusiurandum relatum est, appellare posse, si iudex reum propterea absoluat, quod actor ex relatione non iurauit. Etenim qui defert iusiurandum alteri, sub hac tacita conditione iusiurandum deferre videtur, vt si aduersario ita placeat, iusiurandum deferenti referat, sicq; ad petitionem & placitum deferentis, iusiurandum deferenti refertur. Debet ergo deferens, cui iusiurandum refertur, iurare, aut si iurare recuset, graue non ducere, quod reus absoluitur, & ipsi à sententia iudicis absolutoria, appellare non permittitur. Esset nãq; nimis graue, imo nimis crudele, si appellaret, cum ipse petierit, iusiurandum sibi referri, & reum absolui, se ex relatione iurisiurandi non iurante. Ita Iustinianus docet *in d. l. generaliter, §. sed iuramento illato, C. de reb. cred. & iureiur.* Si, inquit Imperator, is cui iuramentum refertur,

hoc recusauerit, quasi illato sacramento præstito, causa vel capitulum decidatur, nullo loco prouocationi relinquendo. Hoc ipsum quoque Iustinianus proponit, *in d.l. generaliter, §. fine autem, C. de reb. cred. & iuret.* Siue illatum iuramentum præstitum fuerit, siue recusatum, ipsi parti, quæ hoc intulit, prouocatio non reseruatur. Ait Iustinianus, siue recusatum fuerit. Hæc verba referenda sunt ad recusationem iuramenti, quæ fit, cum iuramentum refertur ab eo cui delatum erat. Hoc casu, recusans iuramentum referente absoluto, non potest appellare. Finge ergo, proposita facti specie retenta, Sempronius iusiurandum sibi delatum, Titio refert, & vult, vt Titius iuret, se fundum Cornelianum emisse, & pretium sibi soluisse. Titius relatum sibi iusiurandum recusat. Iudex Sempronium Titio ex relatione iurare nolente absoluit. Hic Titius à sententia iudicis appellare non potest, quia ipse petijt, vt iusiurandum sibi referretur, & iudex Sempronium absolueret, si ad relationem Sempronij iu-
16. rare nollet. At quid fiet, si Sempronius non iurauerit, neq; etiam iusiurandum detulerit Titio, sed iusiurandum recusa-

uerit, & iudex propter recuſationem iuriſiurandi, Sempronium condemnauerit, nunquid Sempronius ab huiuſmodi iudicis ſententia appellare poterit? Hac 17.
quoque de re Imperator noſter Iuſtinianus agit *in d. l. generaliter, §. ſin autem is, cui ſacramentum, C. de reb. cred. & iureiur.* Ibi docet, eum cui iuſiurandum illatum eſt, iuſiurandum recuſare poſſe. Et tunc iudex recuſantem condemnabit, quaſi contra voluntatem ſuam iuſiurandum recuſauerit, ſed condemnatus poterit appellare. Sempronius igitur in propoſita facti ſpecie, ſi velit, appellare poteſt. Sed Iuſtinianum videamus. Ait Iuſtinianus, ſi is, cui ſacramentum eſt illatum à parte, hoc ſubire minimè voluerit, licentiam quidem habeat ſacramentum recuſare, iudex autem ſi hoc omnimodo præſtandum exiſtimauerit, ſic cauſam dirimat, quaſi volente eo ſacramentum ſit recuſatum. Ecce Imperatorem dicentem, eum cui iuſiurandum delatum eſt, poſſe iuſiurandum recuſare, ſed iudicem nihilominus cauſam debere dirimere, hoc eſt, condemnare debere, recuſantem iuſiurandum, quaſi volente eo ſacramentum ſit recuſatum. Hæc verba ſunt obſcura,

eaq; Accursium & reliquos interpretes nostros conturbarunt, nec immeritò. Absurdum namque videtur, vt iudex recusantem iusiurandum condemnet, quasi se volente sacramentum sit recusatū. Quid enim absurdius, quàm vt quid fiat iudice volente, & iudex propterea quod se volente, quid factum est, aliquem condemnet? sanè iudex eum non debet condemnare, qui se auctore aliquid facit Quin imo iudex absoluere potius debet eum, qui se volente, & se auctore, iusiurandum recusauit. Sed pro his verbis, quasi volente eo, legendum est, quasi nolente eo; atq; ita aliàs legi Ludouicus Rusardus *in d.l.generaliter*, annotauit. Sententia igitur Iustiniani hæc erit. Si quis iusiurandū sibi delatum recusauerit, iudex recusantē condemnabit, quasi nolente eo sacramentum recusauerit, hoc est, quasi se inuito & repugnante, is cui delatum est sacramentum, sacramentum recusauerit. Et fit recusatio, nolente, hoc est, inuito & repugnante iudice. Iudex namq; delato iureiurando cogit illum, cui iusiurandum delatum est, vt soluat aut iuret, *l. iusiurandum & ad pecunias, §. ait prætor, h.t.n.* Non ergo vult iudex, vt is, cui delatum est iusiuran-

iurandum, iusiurandum recuset, hoc est, neq; iuret, neq; referat, sed si fiat recusatio, iudex ad condemnationem procedit, quasi contra voluntatem suam, & se inuito, nolente, repugnante, iusiurandum recusatum fuerit. Is tamen, qui iusiuran- 18.
dum sibi delatum contra iudicis voluntatem recusauit, & propterea condemnatus est, à sententia iudicis appellare potest. Ratio est, quia fieri potest, quod is, qui iusiurandum sibi delatum recusauit, iustam habuerit recusandi causam. Iusta 19.
recusandi causa est, si impius deferat pio iusiurandum. Hæc conditio inæqualis est, auctore Xenophonte, non secus, ac si quis robustus imbecillum & debilem inuitaret ad pugnam. *Aristoteles in 1. Rhetor. ad finem.* Pius timidus est ad iurandum, *l. 1. de condit. institut.* & verecundus, *vt excelsi ingenij Papinianus ait, in l. illud aut illud, in fine, de constitut. pecu.* ac subtili reuerentia tenetur, vt nec verum sacramentum præstare patiatur, *l. fin. C. de fide instrument.* Impius contra, contemptu religionis, perquam facilis est adiurandum. Non igitur tutum & consultum est, vt pius impio iusiurandum deferat, ipse etiam pius, pecuniarum

causa non vult iurare. Hoc casu potest
20. pius iusiurandum recusare. Sic iusta causa recusandi iurisiurandi est, si is qui defert iusiurandum, semel detulit iusiurandum idque reuocauit. Nec enim qui semel iusiurandum reuocauit, amplius iusiurandum deferre potest, *l. si quis iusiurandum, C. de rebus credit. & iureiur. sicuti supra cap. 6. latius expositum est.*
21. Sic causa iusta recusandi iurisiurandi est, si conditio iurisiurandi placeat, conceptio autem iurisiurandi displiceat, quo casu iudex iusiurandum concipere debet, *l. iusiurandum & ad pecunias, §. si de qualitate, hoc titulo nostro, & dictum est c. 3. sup.* Quia igitur qui iusiurandum recusat, iustam potest recusandi causam habere, ob id rectissimè constitutum est, vt condemnatus propterea quod iusiurandum recusauit, appellare possit. Et si iudex appellationi præsidens, benè illatum iusiurandum, non ritè autem recusatum pronuntiauerit, res secundum quod iudicatum est, permanebit. Sin autem non ritè quidem illatum rectè autem recusatum sacramentum pronuntiauerit, tunc prioris iudicis sententiam emendabit, *vt Iustinianus Imperator eleganter explicat, in d. l.*

gene-

generaliter, §. *ipse autem cum, sequenti. C. de reb. cred. & iureiur.* Et quæ de iureiurando iudiciali recusato diximus, eadem locum habent, si quis iusiurandum necessarium sibi delatum recusauerit, *d.* §. *fin. autem ii.* Et hæc ad titulum de iureiur. sufficiant.

Soli Deo sit laus & gloria.

INDEX AVTORVM QVI IN HOC Tractatu allegantur.

A.

Castren-

Castrensis.
Christophorus Castellioneus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Constantinus Harmenopulus.
Corneus.
Cornificius.
Crauetta.
Cynus.

D.

Decianus.
Didacus Couarruuias.
Donatus.

E.

Eustachius.

F.

Felinus.
Franciscus Hottomannus.
Franciscus Duarenus.
Fulgosius.

G.

Gellius.
Grammaticus.

Hiero-

Natta

Soci-

Socinus iunior.
Spartianus.
Speculator.
Synopsis Βασιλικῶν.

T.

Theophilus.
Tiraquellus.

V.

Varro.
Vegetius.
Virgilius.
Vdalricus Zasius.
Vlpiani fragmenta.

IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM, quæ in hoc tractatu continentur & explicantur.

Prior numerus paginam, posterior numerum marginalem notat.

A.

Actio

quàm

B.

C.

Causa

De

alieni

Iura-

Iusiu-

Est

Ius

Pignus

Pupilli

Rem

Testi

T.

Vsuca-

FINIS.

HELMAESTADII
Excudebant heredes Iacobi
Lucij, Anno 1598.